SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

ANIMI PATHEMATUM VI ET MODO AGENDI IN INDUCENDIS VEL CURANDIS MORBIS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

DAVIDIS RUHNKENII,

HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,* & *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

THOMAS COGAN,

ANGLO-BRITANNUS.

Ad diem XX. *Februarii* MDCCLXVII. *H.* X. *L. S.*

Nihil affirmo, nihilque ab ullo credi velim, niſi quod ipſi evidens & invicta ratio perſuadebit.

CARTES. princip. part. 4. artic. 207.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud THEODORUM HAAK, 1767.

Non ſolum corporis conditio ſcrutanda, ſed ipſius quoque Animi indoles perquirenda, & quibus morbis is laborat, conſiderandum.

Hoff. med. rat. Tom. 3.

VIRO

PRÆCLARISSIMO

ET

SPECTATISSIMO

OANNI WATHEN,

CHIRURGO LONDINENSI DEXTERRIMO,

FELICISSIMO:

ANIMI BENEVOLENTIA,

MORUM SUAVITATE,

VITÆ INTEGRITATE,

ORNATISSIMO.

ET

OB SINGULAREM, QUO ME AMPLEXUS

EST, FAVOREM

PLURIMUM COLENDO.

NEC

NEC NON

VIRIS

NOBILISSIMIS, PERITISSIMIS,

SUIS IN ARTE MEDICA

PRÆCEPTORIBUS

OB DOCTRINAM SOLIDIOREM
QUAM ME DOCUERUNT,

ET OB

BENEFICIA IN ME BENIGNITER COLLATA,

IN

GRATISSIMI ANIMI MONUMENTUM
HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Inter tam multas & diverſas contemplationis materias, quæ ſcrutationem Medicorum provocant, ſæpe miratus ſum, neminem nobis Hypotheſin aliquam, de Animi Pathematum & modo agendi in Morbis inducendis vel ſanandis, dhuc tradidiſſe. Hæc certiſſimè non parvi ſunt momen-; vix enim datur Morbus, qui, unam vel alteram, pro uſa ſua non agnoſcat affectionem: & in iis, quos n produxerint Morbos, multum proficere, vel nocere Mentis Perturbationes, apud omnes in confeſſo eſt. Ar-umentum, non inficior, difficillimum eſt: ſed quanto fficilius ſit, tanto plus diligentiam, noſtram & aſſiduum udium ad verum inveſtigandum, exigit: et quamvis ulta captum humanum effugiant, multa forſan ſcrutan- patebunt, quæ utilitate ſcateant, & ad perfectionem obiliſſimæ Medendi Artis conducant.

His incitatus conſiderationibus, opus aggredior, quod benter fateor, ſupra vires eſſe: neque dubito, quin

meæ ſententiæ ſuffragium publicum conſonet. Attam
difficilia tentare, quamvis parum ſuccedant incepta, æq
honeſtum mihi videtur, quam in rebus facilioribus verſa
quibus bene peractis, nullus ſequitur Honos.

Ad peculiarem indulgentiam attamen pertinet Aucto
quem neque ſcribendi pruritus, nec vana inſtruendi ſpes
Libellum hoc typis mandandum, ſed obedientia ſola huj
Academiæ Legibus præſtanda inducunt: & qui nec ſ
ipſi ſatisfecerit, Diſſertationem conſcribere, materias
Auctoribus compilando, & ex altera parte experien
caret, obſervationes utiles, quæ ad praxis perfection
inſerviant, examini publico ſubmittere. Tali, ſi u
quam ſpeculari fas eſt, procul dubio permittitur ex cla
& cognitis *obſcura & incognita quærere.*

„ *Quelques-unes de mes idées paroîtront peut-ét*
„ *bazardées. Si le lecteur les juge fauſſes, je le pr*
„ *de ſe rappeller, en les condamnant, que ce n'eſt qu'à*
„ *hardieſſe des tentatives qu'on doit ſouvent la decoûver*
„ *des plus grandes verités; & que la crainte d'avanc*
„ *une erreur ne doit point nous detourner de la recherc*
„ *de la vérité.*

De L'Eſprit.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE DE ANIMI PATHEMATUM VI ET MODO AGENDI IN INDUCENDIS VEL CURANDIS MORBIS.

PARS PRIMA.

Hominem, ex Animo & Corpore mirificè conjunctis conſtare, Phyloſophi ferè omnes fatentur. Hujus unionis normâ, ſubſtantiæ ſecundum privam naturam valde diſcrepantes, & etiam oppoſitæ, commercium mutuum formant, & proprietates ſingulis ignotas adipiſcuntur. Spiritûs cum materia connubio, Corpus nunc *animatum*, ab illis vinculis, quæ materias in genere ligant, emancipatur; *vegetum* enim, *actuoſum*, *ſentiens*, devenit, & plurimis gaudet dotibus, quæ in Corporibus *inanimatis* nunquam inveniuntur. Pars ſpiritualis, ope Domicilii ſui, apparatu idoneo inſtructi, perceptionibus vel ideis, varietate & numero infinitis, locupletatur; quibus inter ſe comparatis, judicat, vult, & Corpore pro inſtrumento inſerviente, voluntatem in actum deducit.

Quemadmodum tam arcte aſſociantur Animus & Corpus ad Hominem conſtituendum, ut Humanitas nec ſine *hoc*, nec ſine *illo* ſubſiſtere poſſit;

ſic felicitas humana a beneficiis ſibi invicem datis & receptis clar pendet. *Corporis* enim vigor & ſanitas *Animo* vigorem infundit: *illo* v reſcente & vigente, *hic* vireſcit vigetque, &, ut ſic dicam, nutrition corporea nutritur. Hæc officia affatim remuneratur Animus. Pr conſervatione enim Corporis vigilat, ejus vires exaltat, commodur ſodalis aſſiduo proſequitur, & malum impendens avertere conatur.

Sed quamvis unio hæc multa commoda utrique ſubſtantiæ præbeat tamen multa inde *incommoda* ſimul proficiſcuntur, nam omnia illa ex terna vel interna, quæ res nonnaturales vocantur, & quæ ad ſyſtematis con ſervationem requiruntur, variis modis nociva fieri poſſunt, & tanta ami citia Animum inter & Corpus adeſt, ut *hoc* dolente, *ille* etiam mal afficiatur. Corporis Aegritudo ad Animum usque extenditur, plerum que obſcurat ejus facultates, & aliquando valde turbat. Anima parun recte valente, ſæpiſſime mutantur, debilitantur, vel deſtruuntur facul tates corporeæ.

Medici eſt mutationes has morboſas, quæ tam diverſæ & numeroſa ſunt, & valde diſcrepantes inter ſe natura, gradu, & exitu, obſervare examinare, & cum remediis convenientibus tractare, ita ut ad priſti nam ſanitatem redeat æger, & functiones ſolitas Corporis & Animi ite rum poſſideat integras.

Ex tam multis rebus, quæ attentionem Medici poſtulant, *bona* ve *mala* per Animum in Corpus inducta, pro argumento hujus *Specimini Inauguralis* ſelegi. Examinationi igitur mutationum præcipuarum quas *Animi Pathemata* Corpori inferunt; & demonſtrationi, illas ac easdem leges reduci poſſe, quibus ſubjiciuntur fere omnes aliæ morb vel ſanitatis cauſæ, paginas ſequentes conſecro.

Sed antequam ad hæc pervenio, neceſſe erit, ut inquiram, quæ ſint leges illæ generales ſyſtema noſtrum dirigentes, & quomodo mu tationes, quas experitur Corpus, producant.

Scriptores phyſiologici ſæpe tentaverunt functiones varias, quæ in Corpore *vivo* & *ſano* jugiter perficiuntur, æque ac functionum læſiones vel morbos, per *leges phyſicas* explicare. Alii *fibrarum Elaſticitatem* ſtatuunt, alii *Efferveſcentiam* quamdam, alii *vim electricam* pro cauſa pro xima motus muſcularis, & aliorum motuum, qui in ſyſtemate noſtro locum habent, agnoſcunt. Sed multa, immo *innumerabilia*, in *Corpore vivo* phænomena dantur, quæ demonſtrant, actiones ejus *toto cælo* diſtare ab regulis, quibus obtemperat una, vel altera corporum pro prietas ſupra dicta.

Equidem ita diffidet Corpus *vita* & *ſenſatione* præditum ab omni machina adhuc cognita, & actiones ejus ab omni motu materiæ impreſ ſo, ut valde improbabile videatur *a priori*, motum animalium leges, pro cauſa efficiente, quibus alia corpora diriguntur, agnoſci poſſe. Et

multa

multa invenimus phænomena, quæ omnem explicationem merè phyſicam illudunt. Talia ſunt effectus per non naturalia producti diverſe applicata. Humiditas e. g. cum frigore conjuncta, vaſa cutanea conſtringit, quamvis in aliis corporibus vita non præditis, poros valde dilatet. Vaſa cutanea per totum Corpus conſtringuntur, quando ad *extremitates ſolas* applicatur hæc humiditas. An frigus in Corporibus *inanimatis* eosdem producat effectus? Aeris frigus ſimilia exhibet phænomena; quæ tamen ſecundum leges phyſicas non contingunt. Calor enim *internus* tali conſtrictioni reſiſteret. Ille ſemper circiter nonageſimum quartum gradum retinet, quamvis frigus *externum* in thermometro, ad gradum nullum deſcendat. Conſtrictio hæc itaque alicui cauſæ Corpori *vivo* propriæ attribui debet. — Stimuli vel internè vel externè adminiſtrati, ſæpe commotiones enormes in *Corpore vivo* excitant, quamvis omni careant vi *Cadaveri* applicati. — Nonnulla remedia topica, virtute magna pollent, & morbos vel ſanant, vel mitigant, ad partes longè diſtantes a ſede morbi adhibita. — Alia vim ſuam exercent in ſtomachum & inteſtina recepta, antequam poſſibile eſſet, per viam circulationis, ad locum deſtinatum attingere. Narcotica ſimilimodo, in tubum inteſtinalem admiſſa, torporem per totum ſyſtema ſtatim ferè inducunt. His aſſociare poſſumus motum ſanguinis perennem, quamvis momentum velocitatis ſecundum normas phyſicas per Vaſorum frictionem valde imminui debet, itaque vis quædam naturæ animali datur, motum generans: — Conſenſum illum, vel partium conſpirationem, ubi nulla nervorum communicantium veſtigia detegimus: — Animi poteſtatem in Corpore motus voluntarios producendi: — Pathemata Animi, quæ mutationes varias efficiunt in diverſis Compagis noſtræ partibus: — Tandem contractiones involuntarias per ſtimulos excitatas. Omnia hæc, & multa hujusmodi ſuadent alia principia, alias normas Animali *vitâ* & *ſenſatione* gaudenti ineſſe, quam in Mechanicis, vel phyſicis inveniuntur.

His Argumentis de futilitate Hypotheſis Philoſophorum mechanicorum convicti, alii, principium quoddam incognitum pro vinculo vel nexu, corpus inter & Animam, ſtatuunt medici, cujus interventu, *illud* in *hanc*, *hæcque* in *illud* mutuo agit. Sed de ejus natura & ſede, in contrarias dividuntur ſententias. Alii, hanc *Vim Vitæ*, τὸ ἐνορμῶν, *Impetum faciens*, *fibrarum Elaſticitati* cum *Senſibilitate* conjunctae, attribuunt (*a*): Alii, ad *vim irritabilem*, quâ dicunt partem glutinoſam muſculorum inſtructam eſſe, referunt (*b*): Alii, totam naturam autu-

(*a*) De Gorter. (*b*) Haller.

tumant, Principio quodam occulto, a primo mundi ortu donatam eſſ quod neque ad corpus, neque ad Animum ſpectat; ſed, quaſi *tertiu quid*, momento Animi connubii cum corpore, in hominem infunditur, uſque ad eorum divortium remanet; quod, Vitâ vigente, viget, deſtructâ deſtruitur. (*) Alii, Animam ipſam vitæ ſcaturiginem eſſe, ipſam ſi corpus formaſſe, illud continuò gubernare, & conſcientia quadam, quaſi intellectu fruentem, per totum ſyſtema diffuſam, ad omnes co poris functiones dirigendas, & Domicilium ſuum conſervandum, jug ter vigilare, ſtrenuè affirmant (*c*). Alii volunt corpus per Animum reg & omnes motus ejus cum vitales & involuntarios, tum voluntarios, a Animi operationes aſcribunt: non equidem, ut ad *principium intel gens*, & actionum ſuarum ſemper *conſcium*, ſed ad principium merè *ſe tiens*, nec conſcientia vera, nec intellectu præditum. Anima, (dicun per totum corpus diffunditur, vitam & ſenſibilitatem, & inde mot diverſos perficiendi aptitudinem, conſorti corpori communicat. P hanc ſentiendi facultatem, omnia illa phænomena regularia, vel an mala explicant, quæ leges phyſicas ſpernunt (*d*). Ego vero litem d remere nollem. Videtur tamen hypotheſis hæc ſimplicitate, dignit te, & phænomena explicandi facilitate, omnibus præſtare, & ſi potu rimus iſtas refellere objectiones, quibus inpugnatur, & quas ex natura facultatibus animi deducere volunt, omnium facile conſenſum obt neret.

Sed utrum ad *Animum* referatur hoc principium, an ad *tertium quid* Corpus inter & Animum, cujus interventu *illud* in hunc, & *h* in illud viciſſim agit, ad noſtrum argumentum non valde pertine Sufficiat ſi aliquam vim corpori vivo ineſſe admittamus, quæ legib ipſi peculiaribus omnia agit, dirigitque.

Videamus itaque quæ ſint illæ leges, & quomodo operentur.

§. I. Hæc *Vis Vitæ*, vel *Impetum faciens*, vel *Facultas Animi ſenſit va*, quocunque nomine id inſignire velis unde vita ipſa, functionesqu vitæ pendent, corpori impertitur ope nervorum a cerebro & medull ſpinali exeuntium. Hoc demonſtrant torpor ille, ſenſationis & mot abolitio, quam cerebri & medullæ ſpinalis compreſſio, in ſyſtema ind cit; vel torpor & mors localis, compreſſionem, aut diviſionem nerv ſequentes, in parte ubi efficaciam ſuam exſerere debuit: æque ac con vulſiones & agitationes vehementiſſimæ, univerſales, vel topicæ, per ir ritationem cerebri, medullæ ſpinalis, aut nervi ſingularis excitatæ Pro *ſede* occupat totam corporis Compagem, neque videntur *partes ſoli diore*

(*) Kaau Boerhaave (*c*) Stahl. van Helmont. Nicol. de anima medica. (*d*) Whyt

iores efficacia ſua penitus privari. Oſſa enim duriſſima, quamvis *ſana*, ulla dant ſigna ſenſibilitatis, tamen *morboſa*, ſenſibilia redduntur; & im conſolidationis, & novam materiam generandi, ineſſe oſſibus fractis, uivis notum eſt. *Cor* tamen, *arteriæ*, *muſculi* in genere, *membrana*, uæ ab ore ad anum usque extenditur, œſophagum, ſtomachum, inte-inaque inveſtiens, *cutis* totam compagem amplectens, & ab injuriis rotegens, ſunt partes, quas peculiari ratione hæc vis vitæ animare idetur, ſi ex earum ſenſibilitate & irritabilitate ſententiam ferre li-et. Sed in his etiam partibus datur magna diverſitas, & valde di-crepant inter ſe, gradibus ſenſationis & activitatis. Illæ quæ in ſtatu *ino* minime ſentiunt, ſuper omnes dolent *inflammatione* correptæ (*e*).

§. II. Per ſenſibilitatem intelligitur, phyſiologice loquendo, facul-as illa in principio vitali ſita, „qua ſtimuli actionem ſuo quoque modo ercipit" (*f*). Quamvis ſæpe cum conſcientia conjungitur, tamen cum ali ſenſibilitate hæc non eſt eſſentialiter connexa. Quando enim com-unicatio cerebrum inter (quod ab omnibus pro ſede conſcientiæ abetur), & reliquas corporis partes interpellitur, multa & indubitata antur ſigna ſenſationis, vitâ adhuc in trunco remanente; ad ſtimuli pplicationem enim moventur artus quodam inſtinctu, ac ſi vita inte-ra remanſit (*g*).

§. III. Irritabilitas eſt facultas movendi, qua per ſtimulum, cujus-umque naturæ applicatum, pars ad motus ſubitaneos excitatur. Hæc acultas a ſenſibilitate ſecundum definitionem ſupra datam, liquido pen-et. *Sentire* debet pars agitata cauſam in eam agentem, unde aliter roveniat motus hic ſubitaneus? alias effectus eſſet ſine cauſa. De-onſtravit porro Clar. WHYTT, irritabilitatem gradui *ſenſibilitatis* pro-ortionatam eſſe. In infantibus, ſcilicet, & ſenibus, datur exemplum *lam* vel augeri vel diminui cum *hac*. Quidquid partis *Senſibilitatem* uget, *irritabilitatem* auget. Hoc teſtatur inflammatio. Quidquid *il-um* debilitat, *hanc* etiam debilitat. Quando enim per frigus artus in-enſibiles deveniunt, *paralytici* fiunt. Animalia, tempore brumali tor-eſcentia, nec ſentiunt, nec ad ullum motum irritantur. Opiata, uæ ſenſationem per totum corpus tollunt, aut mitigant, muſculorum vel

(*e*) Vid. WHYTT *Obſervations on Senſibility*; §. 3. (*f*) Ill. GAUB. Inſtit. Path. §. 172.
(*g*) Irritata Medulla Spinali, totum Corpus Ranæ decollatæ motibus convulſivis val-e agitabatur. Rana alia, capite privata, muſculos femoris & pedis antrorſum verſus bdomen fortiter contraxit, puncto pedis digito; conabatur ſic ſeſe a ſtimulo liberare. id. WHYTT. *Obſervations on Irritability*. §. 2. *Hæc* mutationem aliquam in ſtatu Ner-orum clarè indicant, quam Animal ſentiebat, vel *percipiebat* (pro verbo contendere no-m), quamvis conſcientia abolita erat.

vel irritabilitatem, vel potentiam motricem ſimilimodo deſtruunt, au minuunt. Parvis doſibus aſſumpta inde vomitum & tuſſim cohibent (*h*).

§. IV. Senſibilitas & irritabilitas in duas ſpecies dividi poſſunt. Quando pars ſtimulata etiam *irritatur*, aut ad motus conſentaneos excitatur vel quando pars longè diſtans a ſtimuli applicatione, per hujus ſtimul vim nihilominus, benè vel male, afficitur. Hæc duo tamen ſæpe conjunguntur.

§. V. Prima ſpecies, ſcaturigo eſſe videtur omnium motuum, qua ad vitam & ſanitatem pertinent. Per hanc pleræque geruntur functio nes. In *muſculis* voluntatis efficacia pro ſtimulo inſervit, vel quodcunque vi ſtimulante agit aut dolorem inducit, eos ad contractione incitat. Vaſa majora, *Cor* ſcilicet & *arteriæ*, per ſanguinem laceſſuntur ad contenta ſua expellenda. Anxietatis ſenſatio, in Pulmonibu per exſpirationem, vel inſpirationem nimis longè cohibitam, ad thoracem dilatandum, vel deprimendum excitat (*i*). Acidum in ſtomach generatum (*k*), vel nervorum attritio, ſtomacho collapſo, ideam au ſenſationem famis producit. Cibus concoctus, in inteſtina tranſlatus & cum Bile commiſtus, ad motum periſtalticum hunc tubum irrita Vaſa capillaria & abſorbentia, etiam vim motricem a majoribus vaſi diſtinctam poſſidere videntur. Subſtantiæ enim acres ad illa applicatæ inflammationes topicas producunt. Vaſorum abſorbentium ſenſibilitatem & irritabilitatem eorum inflammatio etiam demonſtrat. In glandulis diverſis irritatis augetur ſecretio. Hæc indicant has partes ad motus ſibi proprios deſtinari: neque improbabile eſt, quod hic motus cir culationem humorum adjuvet, quamvis in ſtatu naturali oculorum acien effugiat: hoc evenit etiam in animalculis, ubi nemo de circulation dubitat. His conjecturis porro repudiatis, nullæ aliæ adhuc inveniuntur, quæ ad circulationis perennis per minima vaſa phænomena explicanda ſufficiant (*l*).

In

(*h*) Vid. Whytt *on Irritability*, §. 4. In tali caſu Syſtema nervoſum per ſtimulun irritantem quodam inſtinctu excitatur ad illos motus, qui partem a malo liberare optim tendunt. Dolore itaque pacato cum periculi ſenſatione ceſſat etiam naturæ conatus ſeſ liberandi. Sed irritationem *topicam* Opiata non videntur penitus impedire. Conſtit enim per experimenta *accuratiſſimi Naturæ Obſervatoris* Ill. Hunteri, quod opium i emplaſtro cantharidibus commiſtum, quamvis Doloris ſenſum obtundat, partem tamen cui applicatur, ad debitam ſecretionem irritet. In hoc caſu Opiata Facultates Anim ſopientia, conſcientiam ejus vel mitigant, vel demunt; ſenſibilitas tamen illa, quæ Nervi ipſis ineſt, & quam ab Animi Conſcientia non pendere diceres, remanet, & inde pars, cu applicatur ſtimulus hic acerrimus, ad fluidorum Secretionem excitatur; vi topica Irrita menti vim topicam narcotici præſtante.

(*i*) Vid. Whytt's *Eſſays*. (*k*) Clar. Culleni *Prælectiones Chymicæ*.

(*l*) Vid Whytt. *Motion of the fluids*, &c.

In omnibus his caſibus pars ipſa ubi agit ſtimulus, ad motus congruos oncitatur. Hic tamen accurate loquendo differentia invenitur inter ervos Irritamentum ſentientes, & illos, qui motum generant. Interna ordis ſuperficie ſcilicet, aut arteriarum, irritata, vel potius Irritamentum ercipiente, fibræ muſculares ad contractiones excitantur. Inde proveit, ut Irritamenta ad fibras muſculares ipſas applicata, in tunica vaorum ſitas, parvas & debiles cieant contractiones, quum internè injecta asdem fibras muſculares ad validiſſimos irritent motus. Hæc obſervaio mihi videtur doctrinam illam, quod Irritatio ſemper ſenſationem alijus naturæ ſupponat, valdè confirmare. Irritamentum enim parti uam vellicat non vim dat, nec contractionem ipſam operatur, ſed im inſitam tantum in actum deducit (*m*).

§. VI. Secunda ſpecies ad conſenſum, vel conſpirationem inter partes pectat, qua ſenſatio quædam irritamenti motus producit in parte a ſee ſenſationis longè diſtante. Aqua frigida ſcilicet, extremitatibus aplicata, vaſa cutanea per totum Corpus conſtringit: Effluvia aromatica aribus hauſta, novas vires ſyſtemati ſuppeditant. Aſperæ arteriæ irriatio non modo ſenſum doloris excitat in parte, ſed etiam muſculi Thoracis & præcipuè Diaphragma ad motus convulſivos laceſſuntur. Diaphragmais inflammatio vomitum, delirium, riſum ſardonicum inducit. Inflamnatio inteſtinorum ſtomachum ad vomitus impellit & vaſa excretoria enum conſtringit, inde urinæ ſuppreſſio. Vermes in primis viis ſtabuantes ſenſationem titillationis in apice & ad alas narium efficiunt. Renum inflammatio nauſeam, vomitum, alvi ſuppreſſionem producit & ic porro. In hujusmodi caſibus prima irritationis ſpecies cum ſecunda onjungitur.

§. VII. Status idoneus hujus vis nervoſæ, & debita actio ejus agilitate ec nimis præcipitata, nec nimis remiſſa in qualibet parte contingens, ptimam ſanitatem Animi & Corporis conſtituit. *Ille* nullo pathemate nordinato agitatur, ſed placidus & tranquillus ad munera ſua nobiliora daptatur. *Hoc* etiam omnes functiones ſibi proprias cum quodam leamine & jucunditate abſolvit. Reſpiratio libere & ſine moleſtia fit. Actio cordis arteriarumque, cum ſanguinis circulatione inde pendente, nollis, vegeta, regularis, neque violentia excedens, neque nimis dereſſa perficitur. Perſpiratio benigna æqualis, totam cutim madori ſautari rorat. Alimenta cum appetitu quæruntur, & concoctionem idoeam cum facilitate ſubeunt. Humores omnes rite ſecernuntur, & excrementa, quæ vel quantitate vel qualitate nocere potuerint, debito tem-

(*m*) Whytt. *on Irritability.*

tempore & modo ejiciuntur. Dolor, anxietas, gravedo, a Corpore pr
ſcribuntur. Vigor quidam, & levamen verbis non exprimendum, p
totum ſyſtema regnat. Quaſdam variationes admittit natura, alioqu
vix unquam a morbo immunis eſſet homo. Quotieſcunque tamen vari
tio tanta eſt, ut functionum læſionem inducat, *morbus* vocatur.

§. VIII. Error hic ad duo capita referri poteſt: quando ſcilicet org
na ad diverſas functiones apta nata nimis agitantur, vel è contrario
ctio eorum debita ullo modo imminuitur: unde functiones cum nim
violentia peraguntur, aut perturbantur, vel diminuuntur, aut penit
ſufflaminantur.

§. IX. Motus inordinatus organorum ſedem habet in omnibus part
bus ad motum cujuſcunque generis deſtinatis; in muſculis ſcilicet, m
tus voluntarii & involuntarii inſtrumentis, in corde & arteriis, vaſcul
minoribus capillariis lymphaticis &c, effecta ſecundum partis nat
ram producit. In muſculis motus inordinatus contractiones convulſiv
generat, quando ſcilicet muſculus contrahitur, iterumque relaxatu
violentè, ſubito, alterne, quod neque a voluntate producitur, nec p
ſummam Animi energiam ſuppremi poteſt. Motus hic muſculorum i
regularis, ſecundum ſedem ſuam & vehementiam, varia exhibet ſympt
mata. In muſculos voluntarios agens, agitationes enormes effrænata
ciet, ut in Hyſtericis; in alios muſculos, Reſpirationis ſcilicet, tuſſim
Diaphragmatis, ventriculi, abdominis, vomitum excitat, aliaque plur

Vaſorum actio vehementior diatheſin inflammatoriam, febres arden
tes, inflammationes locales gignit, in cerebro ſcilicet phrenitidem
in muſculis laryngis & pharyngis anginam, in membrana thoracem in
veſtiente pleuritidem, & ſic porro. Hæc vaſorum irritatio, circula
tione ſanguinis velociore, calore aucto, rubore, dolore ſtipatur cum ill
ſymptomatibus, quæ ad partem morboſam peculiaria ſunt, vel a fun
ctionum læſione oriuntur (*n*).

§. X. Hic motus inordinatus pro cauſa ſua agnoſcit vel nervoru
ſenſibilitatem & irritabilitatem auctam, vel potentiæ ſtimulantis nova
aut violentiorem applicationem. Primus caſus generatim *irritabilitati*
nomine inſignitur.

§. X

(*n*) Inflammationem vaſorum auctæ actioni præcipue aſcribendam, neutiquam ver
obſtructioni, multa ſuadent. Pulſus frequentior & plenior, venarum plenitudo, calor
rubor roſeus partis inflammatæ, male obſtructioni reſpondent, irritationi optimè. Cau
ſae, malum excitantes ad irritantia ſpectant & cum obſtructione nil habent commune
Obſtructio porro externa mechanica nunquam inflammationem ciet, niſi quum irritati
vel dolor eam comitatur. Clar. FORDYCII *Prælectiones*. Vid. etiam Diſſertationem inau
guralem amici *ingenioſiſſimi* Dr. THOMAS HOULSTON, *de inflammatione* nuper editam, i
qua hanc materiam verboſius & perſpicue tractavit.

§. XI. Læſio functionum per debiliorem Organorum actionem in iisdem partibus nata, vel ab aucto impetu vis nervoſæ in aliqua parte, vel ab ejus defectu oritur.

§. XII. Auctus impetus ſeſe manifeſtat per contractiones ſpaſticas vel in vaſis, vel in muſculis. Illa per hanc vim tam fortiter conſtringuntur, ut opprimi videantur, neque valeant muneribus ſuis ſolita cum libertate fungi. Conſtrictio ſpaſtica cordis ſcilicet, & arteriarum, diametrum diminuendo rigiditatem temporariam inducit, diaſtolen & ſyſtolen cohibet, ita ut non poſſint cum requiſito ictu ſanguinem expellere. Pulſus inde parvus, frequens, durus devenit. Vaſorum minimorum conſtrictio perſpirationem & alias ſecretiones, ſecundum ſedem ſuam & vehementiam, cohibet. In muſculis vis motrix cum nimio impetu ruens muſculos corrugat & fortiter conſtringit, unde tetanos, opiſtotones emproſtotonos &c. Hæc vaſorum conſtrictio locum habet præcipue in febrium, præſertim Intermittentium, primo ſtadio, morbis chronicis pro maxima parte, febribus nervoſis, malignis. Inſenſibilitatem, frigus, pallorem, virium proſtrationem, laſſitudinem &c. pro ſuis ſyptomatibus agnoſcit.

§. XIII. Vis nervoſæ defectus — A compreſſione ſenſorii communis provenit, unde ejus communicatio impeditur, & una & altera, vel omnes Corporis functiones impediri, aut debilitari poſſunt. Hinc apoplexia, epilepſia, catalepſis, paralyſis &c. Compreſſio vero localis, vel nervorum diviſio, torporem localem producit, paralyſin, mortem partis &c. — Altera debilitatis functionum cauſa ex atonia, vel fibrarum laxitate, oritur. Ubi ſcilicet illa vis conſtringens, quæ manente ſanitate remanet & ſyſtemati robur communicat, per quamdam cauſam tollitur, & debilis, flaccida devenit pars, & vigore illo, qui ad ſolitas perficiendas functiones requiritur, caret (*o*). Hoc malum a nimia fibrarum diſtenſione oritur, vel ab nimio vis nervoſæ impenſu, unde vires quaſi franguntur, & totum ſyſtema debilitatum languet, torpeſcitque. Tale vitium hydropem, ſtomachi & inteſtinorum imbecillitatem, diabetem, urinæ incontinentiam &c. generat. Nimia partium firmitas & inſenſibilitas, unde per ſtimulum ſolitum ad actionem non facile concitantur, aliam etiam præbent cauſam defectus hujus morboſi. — His adjungere poſſumus plethoram, vel vaſorum depletionem. *Prima* vaſa nimis diſtendit ita, ut non valeant cum pleno ictu ſeſe a ſanguine liberare, quod uſque ad ſtagnationem progredi poteſt. *Secunda* vaſa ſtimulo

(*o*) Arteriarum diameter poſt mortem valde augetur: hoc demonſtrat vim inceſſe conſtringentem vita ſuperſtite. Clar. Fordycii *Prælect.*

mulo ſuo orbat, & conatum ad contractionem auget uſque ad ſummam debilitatem. Hinc lipothymia, lipopſychia, ſyncope &c.

§. XXIV. Hæc duo vitiorum genera in plurimis morbis complicataſunt & omnes variationes poſſibiles locum habent. Vaſorum e. g. nimis velox micatio contractione ſpaſtica ſæpe conjungitur. Unde pulſus & durus & frequens fit. Calor ille urens iterum, qui in febribus inflammatoriis ſentitur, vaſorum conſtrictionem comitatur, ut liquet ex perſpiratione obſtructa & cutis ſiccitate. Nunc torpor aut ſuſpenſio functionum aliquarum cum nimia agitatione in aliis organis nectitur. In morbis hyſtericis muſculi motibus convulſivis agitantur. Vaſa minima conſtringuntur (ut ex urina limpida liquet), ſed Animi facultates debilitantur. In epilepſia vis muſculos movens remanet, quamvis irregulariter agat. Reſpiratio tamen & ſanguinis circulatio languent. Senſus interni etiam abolentur. In catalepſi ſenſuum omnium totalis interruptio fit. Reſpiratio tamen & pulſus bene ſe habent (*q*), & vis motrix in muſculis remanet, voluntati adſtantis obediens. &c. Aliquando nervorum nimia ſenſibilitas contrarium vitium creat. Nervi ſtomachi e. g. per vermes ſtimulati, epilepſiam inducunt. Sed epilepſia hæc pro tempore nervorum ſenſationem ſuſpendit. &c. (*r*)

§. XV. Datur in hominibus temperamentorum magna diverſitas, ita ut eadem cauſa occaſionalis in *hoc* effecta, ab *illo corpore* toto cœlo contraria, excitet. Qui nempe nimia nervorum ſenſibilitate & irritabilitate tenetur per ea, quæ aliter innocua fuiſſent, male afficitur. Hic homo

(*p*) Multi functionum torporem lentori cuidam humorum præcipuè attribuunt. Sed viſcoſitas hæc vel ab aliqua mutatione in vaſorum motu provenire debet, vel a nutrimento, quod nimia viſcoſitate ſcatet. In primo caſu evidenter effectus languidioris circulationis exiſtit, & nullo modo cauſa ejus; in ſecundo difficillimum eſſet, ſi non plane impoſſibile, ut tanta materiæ viſcidæ quantitas per vaſa lymphatica in maſſam ſanguinis tranſire poſſit, & longiſſimum temporis intervallum ad talem metamorphoſin humorum efficiendam requireretur: & ſumme probabile videtur, tantum per vim ſyſtematis circulatorii ſemper ejici, quantum a vaſis abſorbentibus reſorptum eſt. Hinc nulla fieri poteſt viſcidi accumulatio.

(*q*) Vid. HOME *Princip. Medicin.* pag. 228.

(*r*) Multa Phænomena demonſtrant, quod potentia nervoſa facillime ab una in alteram Syſtematis partem promiſcue tranſire poſſit, & aucto impetu ejus in hoc loco, ille ſine ullo exercitio ſibi proprio debilitatur. Conſtrictionem Spaſticam vaſorum, hebetudo ſcilicet Muſculorum concomitatur: neque valet Animus debitam in iis vim exſerere. Conſtrictio hæc, ſi violenta & diuturna eſt, efficaciam nervoſam exhaurit, & omnes alias partes ejus præſentia privat. Inde forſan accidit, ut ſenſus externi vel interni aut debilitentur, & functionum ſuſpenſionem patiantur, nempe in morbis hyſtericis, epilepticis, tetano, &c. tali dote hujus Influentiæ vitalis orbantur, ut non valeant functionibus ſuis fungi. Hæc etiam in muſculis & vaſis quaſi collecta, functiones his partibus proprias perturbat. Vid. KAAU BOERHAAVE *Impetum faciens*, §. 337. 378.

omo e. g. poſt exercitium ſolito paulo violentius, vel leviorem diætæ rrorem, febris ſymptomatibus caſtigatur. Ille tamen temperamento obuſtiori gaudens majori exceſſu impunè indulget. Qui iterum aucto enſibilitatis & irritabilitatis gradu laborant, non ſolum incremento mous *naturalis* obnoxii fiunt, ſed etiam motibus *præternaturalibus.* Sexs ſequior inde, teneriore & ſenſiliore compagine inſtructus, valde prolivis fit ad ſpirituum perturbationes, & motus enormes convulſivos, ontractiones ſpaſticas, & hujusmodi ſymptomata. His adjungere posmus idioſyncraſiam, vel talem nervorum conſtitutionem, qua male afciantur forſan iis, quæ pro maxima parte innocua, vel ſalutaria ſunt. &c. (*s*)

§. XVI. Senſibilitas hæc ſyſtematis & irritabilitas, quas pro baſi omium motuum naturalium ponimus, quamvis ad vitam & ſanitatem tam eceſſaria ſint, tamen ad morbos numero ferè infinitos reddunt Corpus roclive, & dura neceſſitate omnia, quæ prodeſſe poſſunt, etiam vel ncongrua, vel nimis violenta applicatione, aliquando valde nocent. Omnia hæc tamen vim nocivam vel ſalutarem exhibent ſecundum leges, quas ſupra obſervavimus Corpus animatum dirigere: Vel augent & perturbant, vel mitigant, deprimunt & debilitant corporis functioes. Hæc producunt effecta vis nervoſæ diſtributionem irregularem, vel auctum impetum excitando, vel è contrario debitam ejus vim deilitando.

§. XVII. Quæ functionem aliquam excitant — vel vi ſtimulante polent ita, ut ad actionem vegetiorem laceſſentur vaſa, aut muſculi; — vel vim illam comprimentem & conſtringentem tollunt ſic, ut ad debitam ctionem redeant partes; — vel atoniam & debilitatem fibrarum corriunt. Ad primam ſpeciem pertinent ſtimulantia varia, urentia, corodentia &c. cibus, potus, medicamenta, actualem vel potentialem alorem poſſidentia, venena multa, acria omnia, motus nimis violenus, miaſmata in aëre volantia, pus in ſyſtemate generatum &c. — Ad ſecundam ſpeciem pertinent, antiſpaſmodica omnia, quæ vaſa aut muſculos a vinculis ſuis liberant, & in ſtatum ad debitas functiones perficiendas idoneum reducunt. — Ad tertiam ſpeciem ſpectant adſtringentia multa & corroborantia, quæ fibras laxatas conſtringunt, & partes debilitatas roborando novas ſuppeditant vires.

§. XVIII. Quæ actiones organorum vehementes mitigant aut debitas deprimunt & debilitant, hos producunt effectus — aut cauſam irritantem tollendo & eliminando, ut diluentia, demulcentia, purgantia, terræ acida abſorbentes &c. — aut nervos ad ſtimulum reddunt in-

(*s*) Vid. WHYTT *on nervous diſorders.*

inſenſibiles *pro tempore*, ut narcotica, ſomnus diuturnus, cerebrum comprimentia; vel *in genere* nervos nimia ſenſibilitate præditos corroborant, ut in motus vehementes ob minimam cauſam non abripiantur. Talia ſunt Cort. Peru. amara &c. Vaſorum auctam actionem diminuunt porro, quæ fluidi contenti quantitatem ratione vaſorum diametri mutant. Hoc efficiunt — Evacuantia, quæ humores diminuunt, & vires vaſorum debilitant per nimiam ſuæ vis contractilis intenſionem (*t*): — vel Emollentia & vaſorum dilatantia, ut aqua tepida & vapores humidi, qui vaſa relaxant, & ita eorum impetum contra fluidum mitigant. — vel denique illa, quæ vaſa fortiter conſtringunt ita, ut cum pleno ictu impellere ſanguinem non valeant. Hoc efficit aqua frigida, frigus aëris, alcohol, ſtanni & plumbi præparationes chymicæ, miaſmata nonnulla, ut vapores, putridi, noxii &c. — Omnia porro, quæ cum nimia vehementia aut diuturnitate agunt, ſive adſtringentia ſint, vel relaxantia, ſive actionem functionum augeant, ſive diminuant, vires corporis frangunt, atoniam producunt. Et hinc etiam languet circulatio. His adjungere poſſumus cauſas mechanicas partes ultra tonum dilatantes &c. Ad motus muſculorum convulſivos pertinent etiam antiſpaſmodica, quæ vim illam nervoſam in muſculis impenſam tollunt.

§. XIX. Multa iterum duplici poteſtate gaudent, alia ſeſe manifeſtat in parte, ubi applicantur, & alia in toto Corpore. Sales medii ſcilicet tartarus emeticus, ſtomachum, vel inteſtina ad vomitum, aut alvi ſolutionem, ſtimulant; tamen vaſa a conſtrictionibus eximunt. Aliorum prima effecta ſunt vires excitare, robur, vigorem ſyſtematis augere, ſed reiterata, ſedativa fortiſſima fiunt, & ſenſibilitatem, & ad motum muſculorum vim, tollunt. Hujus naturæ ſunt vinum, opium & alia narcotica.

§. XX. Obſervatione digniſſimum eſt, quemadmodum nervi ſenſibus externis appropriati ad objecta ſua aptè accommodantur ita, ut oculus ſonos non audiat, & imagines viſus nullam excitent ideam in organa ad audiendum inſtructa: ſic talis in nervorum conformatione datur diverſitas in diverſis corporis partibus, ut per eosdem ſtimulos ſimili modo non afficiantur. Quod enim in his nervis cum maxima vehementia agit, in aliis quaſi inerme devenit. Ipecacuanha ſcilicet, quamvis ad oculum tanta ſenſibilitate præditum applicata, potentiam ſuam irritantem celet: tamen parva quantitate internè ſumpta, ſummæ commotiones brevi tempore vim ejus detegunt. Guttula aquæ tepidæ in œſophago quam innocua! attamen in laryngem errans, tracheam, muſculosque thoracis ad convulſiones inexpugnabiles laceſſit. Virus animalium morſu

(*t*) Vaſa ſemper conantur ſeſe ad humorum volumen adaptare.

ıorſu ad nervos denudatos admotum, effectus omnium peſſimos affert: ımen in ventriculum ipſum aſſumptum, nil mali gignit. Alia dantur medi-ımenta, in quibus cum vi ſtimulandi generatim conjungitur quædam de-ːrminatio particularis. Argentum vivum ſanguinis circulationem per ɔtum ſyſtema accelerat, ſed faucium glandulas præcipuè amat. Can-ıarides collum veſicæ urinariæ petunt, aloes inteſtina, quamvis in ːmplaſtro ad abdomen applicantur, & ſic de aliis.

§. XXI. Sedes operationis non naturalium, vel medicamentorum, diverſæ ınt. Modo externe applicata, vaſa ad fortiorem actionem ſtimulant er totum Corpus, ut cauſtica acria; modo in pulmones introdu-ıntur, ut miaſmata, vapores noxii; modo per cutis vaſa abſorben-a in ſanguinem vehuntur, ut mercuralia demonſtrant. Stomachus ımen & inteſtina videntur vim medicamentorum vel bonam vel malam ræcipuè ſuſtinere, & inde conſenſu quodam eorum effectus per totum ɔrpus ſparguntur (*u*).

§. XXII. Per hanc analyſin pathologicam videmus, quod morbo-ım maxima pars ad violentiorem, vel irregularem vis nervoſæ actio-em pertineat. Hæc *ſæpe* motus inordinatos producit, & *ſæpe* etiam ınctionum *Torporem*. Atonia ipſa porro plerumque a nimia potentiæ-ervoſæ energia & profuſione provenit. Cauſæ itaque occaſionales mor-borum

---

(*u*) Aliqua remedia procul dubio cum humoribus commiſta & ad locum de-inatum adlata in ſyſtema operantur. Talia ſunt diuretica, ſialagoga, & nonnulla ex-ːctorantia. Hæc enim virtutem exſerunt in Nervos ad eorum Stimulum adaptatos. Sed ırtem Medicamentorum maximam in Solida viva agere, ſine admiſſione in Sanguinem, ulta probant. —— Celeritas e. g. eorum Operationis. Vinum, aromatica, narcoti-ı mutationes efficiunt ad Stomachum applicata, antequam fuerit poſſibile, ut per Viam irculationis circumduci poſſint. —— Minima moles medicamentorum; e. g. gr. j. opii ɔtum Syſtema torpefacit. (*) Tart: Emet: gr. $\frac{1}{2}$ vel gr. j. ſudorem profuſum ſæpe elicit. Li-ıores ſpirituoſi in parva quantitate adſumpti, ſtimulant, calefaciunt, inebriant. Sed hæc multa hujuſmodi cum humorum libris plurimis commiſta totam vim perderent. Sic ːiam corroborantia, Cortex Peruv: ſcilicet, Amara, Aromatica, Sal martis &c. ſolida de-litata per totum Corpus firmant, relaxata aſtringunt, & novis viribus animant. An cre-ıs hoc effici lege quadam chymica vel mechanica? An poſſibile eſſet uncias aliquot Ferri xitatem fibrarum ſuperare tantam ſolidorum ſuperficiem ferruminando? —— Multá ːnique, quæ cum ſumma efficacia agunt, in Sanguinem introduci non poſſunt. Aluminis ß vel ʒj hæmorrhagiam ſiſtit, ſed Alumen vaſa fortiſſimè conſtringit & fluida Corpo-s coagulat. Inde impoſſibile eſſet in Sanguinem tranſire, tanta vi aſtdringente præditum, : ſufficiat ad Sanguinem reprimendum, vaſa topice conſtringendo, vel humores coagu-ındo. —— Ex his clare liquet, Sympathiam aliquam dari Stomachum & Inteſtina in-ːr, & reliquas Corporis partes, & quod Remediorum maxima pars hic applicata effica-iam ſuam per totum Syſtema inde effundat. Clar. Fordycii *Prælect.* Vid. etiam Vhytt *on the Nerves.* Hoff. *Med. rat.* Tom. 3.

(*) Opiata in Ranæ Inteſtina injecta, corde ablato, vim torpeſcentem in Corporis Ex-ːemitatibus brevi inducunt. Hoc per viam Circulationis itaque fieri non potuit. Vid. l. Whytt *on Irritability.*

borum præcipue vi ſtimulante pollent, hanc vim vitalem nempe ad im moderatam, vel irregularem actionem excitant, & quando ratione e fectuum, quos edunt, ſedativa fiunt, tamen quoad modum agendi a ſtimulantia referri poſſunt.

§. XXIII. Ex dictis porro affatim apparebit, illa, quæ hac corporis in dole valde nociva fieri poſſunt, in alio ſtatu multum prodeſſe. Aër ca lidior, v. g. exercitium violens, medicamenta ſtimulantia, quæ tem peramento ſanguineo-plethorico, morbos inflammatorios graviſſi mos generarent, in leucophlegmaticis, & hydropicis ſalutaria deve nire poſſunt.

Hæc mihi videntur legum, quibus corpus humanum regitur primæ li neæ. Mutationes dico, quæ functionum munera, ullo modo pertur bant, aucto vel diminuto organorum motui attribui debent. Hic vel diverſis ſenſibilitatis & irritabilitatis gradibus, vel a natura ſpeciali cor porum in nervos agentium dependet. Omnes morbi itaque propri dicti nervoſi ſunt, vel ab aliqua mutatione in ſyſtemate nervoſo oriun tur. Illi enim qui a fluidis vitiatis proveniunt, ut variolæ, morbilli lues venerea &c. per ſymptomata ſua manifeſtant ſyſtema nervoſum no vi ſtimuli in ſanguinem admiſſi impatiens eſſe, & vaſa ad violentiore & frequentiores micationes continuò laceſſi. Fluidarum depravatio ſeparatim conſiderata, ad indolem nutritioni ineptam reducitur, qua non mutationibus ſubitis & commotionibus vehementiſſimis ſeſe de monſtrat, ſed lenta virium conſumptione & corpus gradatim emacian do. Simili modo corpora, quæ mechanicè agunt, per arctiſſimos limi tes cohibentur, ſi ideam corporis animati tollas. Calculus v. g. in re nibus mechanice agens, pelvim forſan obturat, & urinæ ſtillicidium i veſicam impedit. Sed dolor & æſtus lumborum, diatheſis inflamma toria per totum corpus excitata, vomitus & alvi ſolutio, quæ aliquan do accidunt, ad principium vitale referri debent. Hæc ſymptomata ſo lidis vivis propria ſunt, & ab his ſolis pendent (*v*).

PAR

(*v*) Qui ab humorum depravatione morbos generatim derivant, non ſatis explican quomodo fiat tranſitio illa ſubitanea a ſanitate ad morbos, & a morbo ad ſanitatem, ante quam poſſibile fuerit totam humorum Colluviem, vel vitiatam reddi, vel vitiatam corpore eliminari. In illis Morbis enim, qui manifeſtè ab Infectione oriuntur, interval lum ſatis longum obſervatur admiſſionem Veneni inter & Symptomata inde producta FORDYCII *Prælect.* —— Præterea, Compotationes, Inſolatio, Motus vehemens, Ira febrim inflammatoriam gignunt, ſimilibus ſymptomatibus ſtipatam. An in his omnibu aliquid acre obtinet? Vel acritas illa ejusdem indolis fieri poſſit? Vero abſimile eſt. Se ſi fluidorum acritatem velis, materia illa acris in nervos irritabiles agere debet, & ſymptomata inde ſequentia producere, ut liquet ex rationibus ſupra datis.

Nec perſpirationi ſuppreſſæ adſcribere omnia poſſumus. Materia perſpirabilis, ut Expe rimenta accuratiſſima demonſtrant, ex vapore aquoſo cum materiæ mucilaginoſæ parv

quan

PARS SECUNDA.

Senſibilitate itaque & irritabilitate nervorum, quibus percipiunt ſtimulum atque ei reſpondent, pro baſi omnium mutationum, quæ corpori humano accidunt, ſive ſint ſalutares, ſive nocivæ, poſitis, conabimur per eadem principia *Pathematum Animi Phænomena* explicare.

Sicut Animi adfectus omnes morbos inducunt iis ſimiles, qui ab aliis cauſis proveniunt præter eos, qui per infectionem generantur, ſi eorum Phænomena poſſimus explicare per leges, quas corpus ſenſatione præditum evidenter obſervat, tunc validum datur argumentum, quod morbi generatim potius nervorum affectioni attribui debeant, quam variæ humorum indoli. Nemo enim affirmabit affectiones animi primo humores mutare, & inde in ſolidas agere. Si igitur in paginis ſequentibus, per hypotheſin propoſitam, poſſimus rationem reddere phænomenorum, quæ ex pathematibus in corpore naſcuntur, & quæ ab illis, qui omnia humorum mutationibus tribuunt, reſolvi nequeunt, ſummam veriſimilitudinis ſpeciem datæ hypotheſeos nemo negabit. Nec minime momenti erit porro, effectus pathematum diverſos ad certas reducere claſſes; ſic enim clarius videbimus, quo in caſu nociva, vel ſalutaria fieri poſſint, & quando fas erit animum excitare, vel pacare.

Animi affectionem adpello mutationem aliquam a ſtatu ordinario per boni vel mali repræſentationem in Animo productam, quam tædium vel voluptas ſemper comitatur, & quæ quotiescunque vehementer agit, cum mutatione viſibili in Corpore conjungitur.

Effectus quos producunt hæc pathemata ad eadem capita cum aliis mu-

---

quantitate, olei eſſentialis, vel ſi mavis, animalis, adhuc minore, & forſan ſalis medii minima quantitate, commiſto conſtat, & tam innocua eſt, ut ad oculum ipſum ſine noxis applicari poſſit. Aliæ etiam dantur viæ per quas hæc materia eliminari poſſit: per Pulmones ſcilicet, Renes, Alvum. Clar. FORDYCII *Prælect.* Quomodo porro fit obſtructio hæc? Per vaſorum Conſtrictionem. Nonne igitur ſani Rationi conſentaneum foret potius huic cauſæ malum adſcribere, quæ ut ſupra oſtendimus, majorem Vis Nervoſæ impenſam facit, quam materiam illam innocuam accuſare? Denique quando omnes ſecretiones demonſtrant Vaſa à conſtrictione libera, tunc pro tempore ſanatur Morbus, & ſi in ulla parte conſtrictio hæc remanſerit, Paroxysmus pro parte remanet; quamvis evacuationes effuſiſſimæ ſufficiant ad materiam illam nocivam, a Perſpiratione cohibita retentam, è Corpore eliminandam.

mutationum cauſis referri poſſunt: vel agitant & perturbant functiones diverſas, vel deprimunt & debilitant: & hæc efficiunt naturalem a[...] præternaturalem vis nervoſæ actionem promovendo. Ut hoc affati[...] appareat, animum advertamus ad notas unicuique pathemati peculiare[...] & obſervemus ſtatum, qui Corpori inde inducitur.

Cum SPE incipiamus.

SPES, vel exſpectatio boni futuri. Quando cum debito impetu [...] ſyſtema agit delectabilem cordi ſenſationem impertit. Circulatione[...] ſanguinis liberam provehit. Animum & Corpus, ut ſic dicam, erigi[...] tanquam gratus ſtimulus vim novam & vigorem inſolitum cum quodam l[...]vamine & ſenſu levitatis univerſe diffundit. Anxietatem tollit, & ſe[...]ſum ponderis circa præcordia. Contractionibus ſpasmodicis & vaſoru[...] conſtrictioni inimica eſt. Perſpirationem aliasque excretiones & ſecre[...]tiones debitas optime promovet. Nervos ſtomachi leniter irritando, [...] cibi digeſtionem expediendo, appetitum incitat. Vultum placidum le[...]to & affabili riſu pingit, & humorum accelerato motu, oculi inſoli[...] ſplendore refulgent.

Si effecta hujus adfectus Animi cum ſanitatis deſcriptione ſupra trad[...]ta confers, analogiam arctiſſimam invenies. Vis nervoſæ nempe d[...]bitæ & regulari actioni maxime favet (*a*). Inde clare apparet ratio[...] cur hic omnium adfectuum ſaluberrimus, & homini amiciſſimus ſit. [...] quidem tam mites & benignæ ſunt operationes ejus, & ſanitati optim[...] tam ſimiles, ut vix datur morbus, quo nocere poſſit: ſed quemadmo[...]dum plurimos corporis adfectus morboſos Animi dejectio comitatur[...] quæ malum auget, hæc affectio animum erigens, periculum a vitio con[...]trario removet, & malam corporis indolem ad boni ominis indole[...] transfert. Sed præcipue in morbis a functionum torpore ortis, cum vi[...]rium proſtratione & anxietate comitatis, & in omnibus illis, qui fri[...]gori, triſtitiæ, anxietati Animi, metui tribuuntur, maxime valet ſpes[...] Hæc enim cum torpore quodam, & vaſorum conſtrictione nectuntur. E[...] unicuique notum eſt, quantum ad tales morbos curandos conducat ſanita[...]tis exſpectatio, cum remediis idoneis cooperans. In febribus peſtilen[...]tialibus, morbis chronicis, etiam optima remedia ſine ſpe & fiduci[...] conjuncta incaſſum cadunt: ſed viribus eorum conſpirantibus, omn[...] quod in medicinæ poteſtate eſt, promittitur. Dantur porro exempla[...] ubi farrago ſordidiſſima medicamentorum, quam nimis laudaremus for[...]ſan, ſi *innocuam* autumemus, cum ſpe & fiducia accepta, morbos ſana[...] vit

(*a*) Vid. §. 7.

vit, quamvis pharmaca merito laudatiſſima & cum ſumma peritia adhibita, nil profuerint. Spei Animam excitanti ſagaciter aſcribit Cel. Gaubius prodigia illa, quæ agyrtæ per amuleta vel remedia a medico incognita ſe perficere jactant (*b*). In illis etiam, qui exanthemata expellunt, morbis, ſpes, vires corpori naturales excitando, vaſa cutanea aperiendo, & ſanguinis curſum à centro ad circumferentiam debita vī impellendo, benigne expulſionem adjuvat, & ad repercuſſionem puſtularum cohibendam optimè conducit.

Hinc videmus magnam eſſe affinitatem effectus ſpei inter & illa medicamenta, quæ leniter & gratè vires refocillant, perſpirationem producunt, & vaſorum conſtrictionem tollunt. Cardiaca vocata, ut ſpir. ſal. volat. CC. rad. ſerp. virg. moſch. chin. vinum ſincerum, cum moderamine aſſumpta, omnia hæc nullam in indole humorum mutationem inducere poſſunt, ut liquet ex doſis parvitate, ſed ſolida viva diverſis modis excitant (*c*).

FORTITUDO ANIMÆ, vel magnanimitas ad pericula dimicanda. Hic affectus etiam inter ſtimulantia manifeſte locum habet. Torporem enim & pigritiam abigit. Debilitati pavidos corripienti ſeſe opponit. Vires roborat. Nervoſus devenit homo & ad actionem aptus. Cor & arteriæ pleno ictu replentur & evacuantur, liberè circumvehuntur humores. Corpus quaſi inſenſibilius devenit, & ad inſueta agenda ferendaque mirificè diſponitur.

Ex dictis videmus, quod Animi fortitudo ſpei valde aſſimiletur. In his tamen diſcrepat, quod talem non junctam habeat voluptatem, nec tam vegeta ſit, ſed ad majorem gradum Corpus pro tempore confirmat. In his morbis ubi valet ſpes, valet etiam fortitudo, præcipué contra morbos endemicos, epidemicos, contagioſos, ut ſcorbutum, febres putridas, peſtem (*d*), variolas, morbillos &c. ſyſtema optimè corroborat, tanquam ſpes ſemper fere prodeſt, & tanta datur ſimilitudo effectus ejus inter, & ſigna corporis ſanitatem indicantia, ut raro nocere poſſit.

GAUDIUM, vel voluptas ex boni poſſeſſione aut malo evitato. Effectus hujus Pathematis a ſpei effectibus minus differt natura, quam gradu. Spes aucta in gaudium tranſit. Gaudii moderati phænomena & ſpei tantam habent ſimilitudinem inter ſe, ut inutile ſit, repetere hic quod ſupra dixi. Quando fortiter agit tamen effectus producit multo vehementiores. Tanquam ſtimulus vivax & jucundus cordis & arteriarum micationem adauget. Pulſus frequens inde & magnus. (*e*) Principium vitale vivide erigit, torpidum & languidum corpus ſuſcitat

(*b*) *Sermo Acad. ſec.* Pag. 58. (*c*) Vid. §. 21. Not. (*n*)
(*d*) Vid. Diemerbroek *de Peſte.* (*e*) Hoffman. *Medecin. ration.* Tom. 3.

tat & roborat. Grata & delectabilis ſenſatio, jucunditas quædam & ſpirituum alacritas, verbis non facile depingendæ, in corde, pectore, facie & denique univerſo corpore ſentiuntur. Primo gaudii impulſu ſyſtema nimis perturbatur. Cor ad palpitationem usque agitatur. Crebriores ejus micationes circulationem pulmonalem adaugent, inde reſpiratio crebrior. Motus vaſculorum in glandulis lacrimalibus valde intenditur, & ad ſecretionem fluidorum ſtimulantur glandulæ. Hinc lacrimarum profluvium & ex auctu vaſorum in hac parte motu, calor & rubor faciei. Tantam animo & corpori confert hæc affectio alacritatem, ut impatiens deveniat homo gaudio affectus, tranquillitatis, & cordis hilaritatem adſtantibus manifeſtare motu quodam corporeo, ſaltu, manuum comploſione &c. geſtit. Poſt primum impetum tamen gaudium cum quadam Animi tranquillitate, & ſenſu triſtitiæ non ingrato, conjungitur.

Ex his colligemus hunc adfectum eandem exhibere vim quàm ſtimulantia blandiora & actuoſa. Ad gaudium moderatum pertinent omnia de ſpe ſupra dicta. Sed ut effectus ejus pro maxima parte violentiores ſunt, ſic etiam aliquando ad morbos curandos efficacior devenit. In temperamentis frigidioribus leucophlegmaticis, quæ nervorum torporem, ſegnitiam, humorum lentorem, frigus, laſſitudinem experiuntur, multum prodeſſe poteſt hæc Animi affectio. Gratus ille & agilis ſtimulus per totum ſyſtema diffuſus vires naturæ torpidas ciet, circulationem vividiorem promovet, & inde ad obſtructiones referandas, a ſanguinis languore incipientes, optimè conducit. Fatuitatem, (*f*) & paralyſin ſanavit gaudium (*g*). Modus agendi ex characteribus hujus Pathematis affatim apparebit. Fatuitas, a functionum torpore & ſtupore, a nimia debilitate, vel paralyſi quaſi & inſenſibilitate partis affectæ, oriri poteſt (*h*); vel a tali vaſorum minimorum conſtrictione in cerebro, quæ in aliis corporis partibus accidit. In utroque caſu gaudium ſubitaneum vegetam & regularem vis vitalis actionem excitando, vires novas ſuppeditat, conſtrictiones tollit, ſenſibilitatem diminutam auget, & ſic quaſi a ſomno expergeſit fatuus. Simili modo in paralyſi, virtute quadam electrica interne agens, gaudium partes torpidas & ſemimortuas ad priſtinum vigorem & activitatem ſolitam ſuſcitavit, tantam, ut ſic dicam, dotem vis nervoſæ partibus ſuppeditans, quantam per morbum amiſerunt.

Quem-

(*f*) Ill. HALLER. *Element.* Tom. V. Lib. XVII. TULPII *Obſerv.* Lib. I. Cap. XXII.
(*g*) Ill. GAUB. *Serm. Acad. alter.* pag. 59.
(*h*) Inſania eſt nimia Senſatio, Stultitia nimis parva. BATTIE. In fatuo nimis debilis eſt humorum Circuitus, minus ſenſibilia organa ſenſus. HAL. Tom. V. Lib. 16. Sect. 2.

Quemadmodum hæc affectio magno cum impetu aliquando agit, mirum nobis non videre debet, ſi multum mali inde gigni poſſit. In temperamento ſanguineo morbos inflammatorios, febrim acutam, actionem vaſorum ſupra modum excitando, induxit. In hominibus nimia nervorum ſenſibilitate & irribilitate præditis, vel cum ſumma vehementia agens, infauſtiſſimos procreavit effectus. In epilepſiam, catalepſin, deliria, apoplexiam, & etiam ſubitam mortem inciderunt homines (*i*). Epilepſiam & catalepſin producit gaudium, non per leges operandi huic effectui peculiares, quæ potius ad hos morbos curandos pertinent, ſed ut ſupra demonſtravimus, homines, & præcipuè ſexum ſequiorem delicatiori nervorum compage inſtructos, ad tales morbos prædisponi, & omnia quæ tranquillitatem tum Animi, cum corporis perturbant, ſive grata, ſive ingrata ſint, ſymptomata epileptica, hyſterica, & alia poſſe producere (*k*). Delirium cerebri irritationem pro cauſa agnoscit. Apoplexia ex nimio ſanguinis profluvio & vaſorum fortiori actione rupturas, vel cerebri compreſſiones producentibus, provenit. Hoc probat calor ille, & rubor facei, ex ſanguinis impetu & vaſorum motu aucto, oriundi. Mors ſubitanea ex nunciis exoptatis improviſo annunciatis, cujus multa in hiſtoria dantur exempla (*i*), attribui debet, ut mihi videtur, percuſſioni illi cordis vehementiſſimæ, quam omnes gaudio correpti plus vel minus ſentiunt. Cor ad irritamenta ſibi propria valde ſenſibile eſſe, Anatomia & Phyſiologia demonſtrant. Non incongruum eſt igitur ponere, quod virtus vitalis quaſi collecta, & cum ſummo impetu in hac parte ſeſe exſerens, nervos exquiſita ſenſibilitate inſtructos tam male afficiat, ut cor debilitatum & *fractum*, ut ſic dicam, impotens fiat ad contractiones ſubſequentes. Inde puncto temporis momentum illud vitale, à quo omnia vitæ munera pendent, uno ictu ſiſtit, & mortem inopinatam inducit (*l*).

Sub gaudii nomine complectitur hilaritas & jucunditas, vel ad exercitationes ludicras, riſus, facetias animus proclivis. Effecta hujus proclivitatis ſpei & gaudio tam ſimilia ſunt, ut inutile ſit ſeorſim charactares præcurrere. Syſtema nervoſum per lætitiam plus excitatur, quam per

---

(*i*) Vid. *Serm. Acad.* 2. HOFF. *Med. rat.* Tom. V. HALLER. Tom. V.

(*k*) Vid. Pars prim. §. XV.

(*l*) Diagores, Rhodius, Dionyſius, Sophocles, Philippus præ Gaudio defuncti ſunt. Spartana mater inter ipſos amplexus reducis Filii, quem in acie cæſum putavit, mortua corruit, præ nimio & ſubito Gaudio. Vid. VAN SWIET. Comm. in Aphor. 1306. Feminarum præcipue & gaudia inſigna erant & luctus. Unam in ipſa porta ſoſpiti filio repente oblatam in conſpectu ejus expiraſſe ferunt: alteram cui mors filii falſo nunciata erat moeſtam ſedentem domi ad primum conſpectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. LIV. Lib. XXII. Cap. 7.

per gaudium, tamen circa corparva eſt voluptatis ſenſatio: nec poſt primum inſultum tam tumultuoſum eſt gaudium, ſed potius Animi amœnam tranquillitatem gignit. Per debitam moderationem refrænata hilaritas procul dubio ad ſanitatem maxime conducit, effecta ſpei & gaudii producendo. Triſtitiam & curas corrodentes divertit, diſpellit. Vires refocillat, & relaxatione tempeſtiva, vim animi & corporis renovat, & ad labores ſolitos ſuſtentandos aptiorem reddit hominem. Optime itaque valet in corporibus curis & anxietate debilitatis, & nimia attentione Animi ad ſtudia ſeveriora defatigatis (*m*). Hilaritas tamen immodica contrariis punitur: debilitat corpus, vires proſternit, laſſitudinem, torporem menti & corpori, cum malis inde ſequentibus, inducit.

Ad medicamenta igitur ejusdem generis cum ſpe gaudium moderatum pertinet, paulo fortiora tamen, vel majore copia adhibita. Gaudium immoderatum, & hilaritatis exceſſus, tamquam vini generoſi nimia indulgentia, vim vitalem ultra modum & nimis diu excitans, denique debilitatem neceſſario producit. (*n*)

AMOR hic adfectus latiori verbi ſignificatione definiri poteſt alicujus rei oblectamentum. Si ad gloriam honoresque ſpectat, *ambitio* vocatur, & prout fortitudo vim & vigorem corpori impertit. Vehementia deſiderii ſæpe ſuſtentatur homo ad ea peragenda, quæ ſupra vires humanas fuiſſe credebantur. Quando ad pecuniam coacervandam impellit, *avaritia* nominatur, & ſæpe cum animi anxietate, & curis mordentibus conſociatur. Amor ille, qui genus humanum complectitur, nomine *benevolentiæ* diſtinguitur, qui ſelectas perſonas, *amicitiæ*, & modo cum triſtitia, modo cum gaudio aſſociatur, ſicut *amicus* rebus adverſis vel ſecundis verſatur. Quamvis magna in medicina hinc non exſpectanda, tamen benevolentia, & amicitia manifeſto ad illa pertinent, quæ debitæ vis vitalis actioni favent.

Amor inter ſexum diverſum, omnium animi affectuum violentiſſimus, tam varios affert effectus, ut difficile ſit phænomena huic affectioni peculiaria depingere. Deſiderium honeſtum & mutuum in amantibus be-

---

(*m*) Inde forſan apparet ratio, cur qui febribus nervoſis, & chronicis morbis, per Animi languorem & diuturnas curas natis, vel auctis, laborant, ſæpe remedia inveniant in hominum conſortio, quæ incaſſum a medicamentis quæſiverant. Nec improbabile eſt, quod Aquæ Spadanæ, Briſtolienſes, Tunbridgenſes &c. præcipuam efficaciam perderent, ſi ægri ad hæc loca confluentes, exercitiis ludicris carerent. Qui talia conſortia petunt, curas domi relinquunt, & pro tempore vacant ab omni Sollicitudine & Animi anxietate, Sanitati tam exitiali. Niſi forſan infortuito caſu pecuniam amiſſerint chartis pictis, vel alis ludendo.

(*n*) Vid. Par. prim. §. 18.

benevolentiam & amicitiam generoſiſſimam gignit, eorum felicitatem vult, & diligenter promovet. Hæc affectio ſuavitate amicitiæ conjunctiſſimæ fruitur. Oblectamentum magnum Animo inſpirat, & gaudium continuum, quadam tamen ſerenitate, & dulcitudine, aliis gaudiis aliena, commiſtum. Tanta eſt Amoris poteſtas, ut ferociſſimos manſuefaciat, & indomabiles tam placidos ac oves reddat.

In paroxymo Amoris, quando Animus ad blanditias propendit, agitatur cor. Voluptatis ſenſatio inde proveniens ad pectus, faciem, labia, oculos, & denique totum corpus ſe extendit. Arteriarum augetur Diaſtole & ſyſtole; hinc plenus potius, quam frequens devenit pulſus, qui vaſa a conſtrictione libera indicat: perſpiratio porro liberrima promovetur, ab aucta vi circulationis cum vaſis cutaneis apertis orta; corpus caleſcit; facies rubet; oculi ſcintillant; ex humorum abundantia in arteriis lymphaticis, & circulatione velociori. Reſpiratio laborat. Quod reditui ſanguinis crebriori ad pulmones, cum quadam muſculorum reſperationis hebetudine, attribuas. Pulmonibus onoratis, ſenſus moleſtiæ ad thoracem dilatandum incitat, inde ſuſpiria intervallis repetita. Quamvis tali modo excitatur vis vitalis, aliqua potentia ſedativa tamen conjungitur, nam ad activitatem & hilaritatem neutiquam excitat, ſed potius quamdam dulcem hebetudinem, indolentiam, & mollitiem ſyſtemati inducit.

Hæc gradatim augentur, donec ad appetitum venereum conducant. Cupidine Inflammato cor palpitat, pulſus acceleratur cum inæqualitate (*o*). Vires Corporis mirifice adaugentur uſque ad tremorem. Calor & æſtus per totum corpus diffunduntur cum ſyſtematis nervoſi ſumma ſenſibilitate, præcipuè in labris, mammis muliebribus, & pudendis. Hic enim tendit ſumma deſiderii vis. Imaginatio laſciva arterias virgæ virilis ſtimulat ad ſanguinem in corpora cavernoſa effundendum. Turget penis, & ſenſibilitate exquiſita donatur. Simili modo turgent papillæ mammarum, clitoris, & nymphæ muliebres; glandulæ vicinæ ad ſecretionem fluidi mucoſi ad partes lubricandas etiam ſtimulantur. Cupidines uſque ad furorem accenduntur. Cum impetu ſe mutuò petunt, conjungunt, & motibus convulſivis in voluptatibus diſſolvuntur.

Quamvis tam varia ſint phænomena hujus affectionis, vides tamen illa per leges ſupra poſitas reſtricta eſſe. Aliquando vigor auctus cum quadam vi ſedativa uniri poteſt: aliquando cum contractionibus ſpaſticis aut convulſionibus. Quædam vis generalis, ut ſenſibilitas aucta, ſedem habet etiam topicam, ubi potentia ejus præcipue ſe manifeſtat: quod omnia tamen ad vis nervoſæ diverſam actionem, hic torporis, & illic activitatis productricem, referri debeant, liquidè apparet. In hoc ad

(*o*) Hall. *Element.* Vol. 5.

fectu influentia nervoſa in vaſa præcipuè expenditur, & nervos ad ſenſationem inſtructos; inde forſan in muſculis hebetudo hæc (*p*).

Similitudo magna mihi videtur eſſe effectus amoris inter & aliquorum narcoticorum, antequam vim narcoticam nimis violenter exhibeant. Pro ſtimulo validiori imprimis inſerviunt: poſtea huic adjungunt quandam pigritiam amœnam, & muſculorum jucundum torporem. Sed tametſi ſenſus acutior obtundatur, voluptas tamen corporea remanet. Somnolentia ſimili modo ad dolorem inſenſibile reddit corpus, ſed quadam voluptate conjungitur. Sic, ut mihi videtur, amor in corpus agit antequam in libidinem impetuoſam tranſeat. Hinc porro apparet ratio, cur temulenti, & qui calore lecti cum potentia ſedativa ſomnolentiæ fruuntur, ad blanditias amoris maxime proclives ſint.

Poſt ſeminis emiſſionem tumultui deſiderii ſuccedit Animi & corporis reſolutio, ſumma tranquillitas, mollities, debilitas, triſtitia, faſtidium quoddam, viſus hebetudo. Hæc vis ſedativa, ut ſic dicam, defatigationi attribuenda, & convulſionibus, quæ ſemper fatigant, magnam enim vis nervoſæ impenſam faciunt; & etiam ſeminis abſentiæ, cujus præſentia, per vias nobis incognitas, ad robur & vigorem corporis valdè conducit, dum ad amoris blanditias incitat (*q*). Oculorum hebetúdo ſubitam evacuationem vaſorum, quæ jam nunc nimis repleta & diſtenta fuerunt, agnoſcit. Vis illa motrix in inertiam & debilitatem mutatur, inde pro tempore flaccida deveniunt vaſa.

Hactenus non locutus ſum, niſi de effectibus amoris reciproci & utrinque palam affirmati. Aliter multo tamen agit hæc affectio, quando ſub aliis conditionibus invenitur. Homini alicujus amore flagranti, & de eventu amoris incerto, perturbationibus diverſis miſere jactatur animus. Spes, metus, gaudium, mœror, invidia, ſuſpicio, deſperatio, mentem amatoris ardentis viciſſim elevant, deprimunt, angunt, & notas ſingulatim corpori imprimunt. Adeo faſcinatur illecebris amatæ procus, ut hæc Animi attentionem die nocteque occupent. Somnus & requies longè fugiunt, appetitus proſternitur, ad omnia alia inſenſibilis

(*p*) Vid. Par. prim. § XV. not. (*r*)

(*q*) Quemadmodum affectio Amoris, quamvis in initio puriſſima fuit, denique cupiditates excitat: ſic Seminis copia ad benevolentiam & amicitiam erga ſexum, & ad actiones ſumma benignitate confertas, diſponit Animum. Ex altera parte, nimia indulgentia & virium Exinanitio per voluptates venereas, faſtidium & quaſi odium gignit. Hinc neminem cogitantem latet, quam magni momenti futurus ſit prudens & modicus Veneris cultus inter conjuges, ad vitæ tranquillitatem & amœnitatem. Hac regula obſervata crederem fore, ut non videremus vitam conjugatorum rixas inter & ſuavia dividi. Nec amoris paroxyſmis ſuccederet tam frequenter faſtidium & odium. Hoc omnium optimum eſſet Philtrum.

bilis devenit amator. Nec cogitat, nec ſpirat, nec ſentit, niſi amorem.

Hoc imperium ſummum amoris & late patens, varia & oppoſita inducens Phænomena, multum boni vel mali efficere poteſt, ut res ſeſe cuivis manifeſtat. Nunc ut ſtimulus benignus, moderatus agit. Vires leniter refocillat. Animo oblectamentum & jucunditatem tribuit, corpori ſemper ſalutaria. Remedium dulciſſimum præbet contra tam multas & varias vitæ moleſtias, quum ſcilicet amor reciprocus amicitiæ egregiæ ſpecies ſit. Nunc ſtimulus fortior devenit, & ſicut alia ſtimulantia, ſecundum ſuum impetum & corporis temperamentum, modo nocere, modo prodeſſe poteſt. Menſes ſcilicet intempeſtivos elicuit amor (*r*); vaſa ſanguinea enim in partibus generationi deſtinatis præcipuè ſtimulat; calorem excitat. Inde in temperamentis calidioribus, vel vaſis debita firmitate carentibus, vel appetitu ultra modum excitato, menſium proruptio facile accideret. Febres ſanavit. Febres ardentes accendit. Sed ſi primum inſultum intermittentis cum effectibus appetitus venerii conferas, conſpicuè apparebit, quomodo conducat amor ad paroxyſmum febrilem oppugnandum. Vaſorum conſtrictioni opponitur eorum relaxatio; torpori univerſali, vigor; debilitati, robur; frigori, calor. Fugiat tamen coitum æger, qui ut ex phænomenis liquet, proclivitatem ad paroxyſmum febrilem auget. In febribus nervoſis etiam prodeſt. Animi dejectio & virium proſtratio feliciter ſic expugnantur. Paralyſin minuit, ſuperavit (*s*); vegeta vis vitalis actione huic Torporis ſpeciei ſeſe opponente. Inſultum hyſtericum ſuperavit coitus (*t*). Senſatio omnis viva in corpore excitata, cum voluptatis, tum doloris, paroxyſmum ſuſpendit, vel correptam reanimat. Aneuryſma aortæ produxit amor (*u*); ex cordis aucto impetu. Vires refocillat, reſtaurat in temperamentis frigidis, torpidis, chloroticis. Circulationis languorem corrigit, novamque vim & vigorem excitat. Hinc ſagaciter autumavit Cel. Præceptor, frigidos marcidosque ſenes plus recreari blando calore, & revireſcere cum puella formoſa concubantes per amoris blanditias, quam per quædam effluvia a corpore juvenili exhalantia (*v*).

In genere, amoris impulſus ſanguinis circulationem ad exteriora promovendo, corpus ad omnem aliam impreſſionem inſenſibile reddendo, vim vitalem vivide excitando, contra mala oppoſita optime protegit ſyſtema. Ut vinum & hujus modi ſtimulantia, poteſtate corroborante prædita,

(*r*) Hall. *Elem.* Tom. V. Lib. XVII.
(*s*) Ibid. (*t*) Vid. Duretus *Prax. Med.* Lib. 4. (*u*) Haller. (*v*) *Serm. Acad. alt.* p. 60.

dita, contra frigus, miaſmata roborat, & quaſi invincibilem reddit hominem (*x*). Quando cum ſpe & gaudio conjungitur, omnium pathematum efficaciſſimus devenit amor contra vires corporum nocivas. Poſt coitum tamen ad hæc mala maxime diſponitur corpus, ut ex phænomenis liquet. Valde noceret procul dubio orgaſmus venereus ſi diu remaneret: ſed nunquam cum ſumma agit vehementia, niſi eodem momento, quo ceſſat: & tranſitio hæc ſubitanea ad debilitatem & languorem pro antidoto validiſſimo inſervit.

Sed quum cum tantis & diverſis Animi perturbationibus conjungitur amor, funeſtiſſimos ſæpe gignit eventus. Pathematum certamen & lites, tranſitio ſubita ab hoc ad illud violentiſſimum: imperium mœroris, invidiæ, deſperationis: animi attentio ad rem adamatam die nocteque, cum ſumma cura & anxietate: ſomni & cibi privatio: omnia in unum conſpirant ad vires frangendas, corpus & Animum debilitandum, & varios infinitoſque producendos morbos. Alii in epilepſiam vel catalepſin incidunt. Alii in morbos hyſtericos, febres hecticas, nervoſas. Applicatio Animi aſſidua tandem talem inducit conſuetudinem, ut ad alia non valeat Animus facultates applicare; hoc cum virium Conſumptione melancholiam gignit; vel a ſpei fruſtratione & ſumma deſperatione, furor, inſaniæ, naſcuntur.

Aliquando hoc pathematum certamine amor ipſe mala ſuperat, quæ amor induxit. Cujus dat exemplum TULPIUS. „ Juvenis Britannus, „ impenſius Amori indulgens, perculſus fuit adeo vehementer ex ino- „ pinata matrimonii repulſa, ut obriguerit inſtar ſtipitis, ſedens in ſedi- „ li ſuo, ſive detentus ſive congelatus per integrum diem, retinensque „ continenter eundem ſitum, & oculos non minus apertos &c. Verum „ ubi exclamaretur alta voce rem ipſius meliore eſſe loco, & cupitam „ habiturum amicam modo ad ſe reverteretur, proſiliit confeſtim ex „ ſedili, & quaſi excitatus ex profundiori ſomno, rediit actutum ad „ ſe." (*y*)

In hoc caſu animi conſternatio catalepſin attulit; quam in hominibus ſyſtemate ſenſiliori inſtructis, vel cum ſumma vehementia agentes omnes perturbationes animi afferre poſſunt. Sed Gaudium hoc ſubitum, violentiæ doloris proportionatum, ſecundum hujus pathematis naturam, vigorem ſalutarem momento temporis per totum ſyſtema diſtribuit.

PUDOR, vel perturbatio animi a læſæ famæ imaginatione. Hæc ad-

(*x*) De quibus plura ſupra dixi, quum de ſpe diſputavi.
(*y*) Vid. TULPII *Obſerv. Med.* Lib. V. Cap. 22.

adfectio ſæpe cum timore, vel metu conjungitur, & phænomena producuntur huic pathemati peculiaria. Sed in iis quorum nervi ſenſiliores ſunt, & qui ob honoris vel dedecoris eximiam ſenſibilitatem ad minima rubent, crebro nulla, vel parva datur mutatio in cordis actione. Vaſa cutanea tamen faciei, pectoris, & aliquando totius corporis, quamvis minore gradu, ad micationes violentiores excitantur. Rubor inde & calor diffunduntur, quem pruritus ſenſus aliquoties comitatur. Vis pathematis tamen in faciem præcipuè irruit. Illa colore altiori ſuffuſa eſt. Oculi ſcintillant, & luſcitioſi fiunt. Impatiens obſervationis Pudicus oculos aliorum effugit, & in terram deprimit, figitque ſuos.

Litigatur inter Phyſiologos, quæ ſit hujus ruboris cauſa? Aliqui volunt cor vi pathematis in contractionem validiorem cieri, & inde ſanguinis majorem copiam per carotides, quæ primum cordis & aortæ momentum recipiunt, ad faciem provehi. Sed multa huic hypotheſi ſeſe opponunt. Omnis cordis micatio validior ſanguinem ad os non præcipuè propellit, quod fieri deberet, ſi hoc in cauſa eſſet. Carotides internæ ſanguinis auctum volumen accipere debent: quod vel apoplexiam, vel inſaniam minaretur. Sed nullum hujus naturæ obſervatur ſymptoma. Porro, calorem hunc & ruborem, cordis auctus motus plerumque non concomitatur. Palpitat cor admiſſo metu, & ſpirituum nimis perturbatione, ſed nunc vaſa cutanea conſtricta pallorem potius inducunt; & quaſi certamine pathematum, pudoris ſcilicet & metus, color abit, redditque viciſſim. Itaque in rebus minoris momenti, ubi parva eſt anxietas, nec ullus cordis auctus motus percipiendus, altiori colore rubeſcit Pudicus, quam in rebus ſummi momenti. Hic enim per alternas vices rubeſcit palleſcitque, anxietate & metu cum pudore conjunctis.

Celeb. HALLER ruborem ad venarum conſtrictionem per filamenta nervoſa, ſanguinis a Cerebro reditum obturantia, refert (z). Sed ut notavit Clar. WHYTT, calor & color roſeus minime cum ſanguinis ſtagnatione quadrant, & potius circulationem velociorem cum ſanguinis volumine aucto indicant (a). *Arteriolis rubris* itaque excitatis, ad ſummam reducitur veriſimilitudinem, talem communicari actionem *lymphaticis*, quæ ad oculos tendunt, & aucta humorum circulatio, vel in cornea, vel in retina, vel in utraque, viſus habetudinem facile inducere poteſt. Hinc forſan nervus opticus nil niſi impreſſiones promiſcuas ſentit, & humorum aucta copia in cornea radiationem a debito curſu declinando, aliud ad viſionem claram adfert obſtaculum.

Cui-

(z) Prim. lin. §. 54. (a) *Obſervations on Irritability.*

Cuicunque itaque vaſorum irritationi hæc phænomena attribuo, mil etiam videntur probare, nonnulla Animi pathemata, æque ac plure aliæ res vi ſtimulante donatæ, determinationem topicam præcipuè ha bere. Hæc porro rationem demonſtrant, cur pudor rarò magnas in ducat mutationes, aut ſalutares, aut nocivas. Vis vitalis enim per to tum ſyſtema non valde agitatur, ad externa corporis ſola tendit pathe matis impetus, non valet itaque functiones ullas lædere. Cæcitatem a tempus inducere poteſt (*b*). Hæc tamen ab humorum aucta circula tione orta, cum cauſa ſtatim ceſſat. Menſes a pudore ſuppreſſos fuiſ dicitur (*c*). Hoc metui conjuncto attribuendum eſt. Pudoris effectu enim vix unquam ad gradum notabilem per totum corpus diffunduntur & fac, ut res ſic ſe habeat, menſium profluvium potius, quam obſtru ctionem cierent. In habitu ad cutis inflammationem proclivi eryſipe las, vel excitare, vel augere poterit. Sed hujus rei fateor me exem plis carere.

IRA, vel tædium vehemens ex injuria allata cum vindictæ cupidi tate. Hoc pathema totum ſyſtema maxime perturbat. Vix datur a liud, quod cum majori vehementia agit. Cor fortiori percuſſione m cat. Arteriæ magno laborant pulſu. Os rubore ſuffunditur, torvum vultuoſum apparet. Oculi ſcintillant, & ignei deveniunt. Calor irritan per faciem ſentitur. „ arteriarum capitis præſertim circa tempora ma „ jor eſt pulſatio & intumeſcentia" (*d*). Æſtus ingens per totum corpus accenditur. Modo perſpiratio promovetur, modo candens & ſicca devenit cutis. Robur ſummè augetur, & a facinoribus ferociſ ſimis vix catenis cohibetur iracundiâ ardens; aliquando muſculi per ni miam energiam contremiſcunt, & tanta fit commotio, ut vaſa minim vi ſpaſtica arctiſſimè conſtringantur. Nunc pallidum devenit os, labi quatiuntur, dentes fortiter comprimuntur. Horrent & eriguntur ca pilli, conſtrictis cutis poris. Cor vehementer palpitat, & arteriarum conſtrictione pulſus ante frequens, nunc *durus* etiam & *parvus* redditur Anxietas circum præcordia oritur, cum reſpiratione laborioſa ex ſan guinis accumulatione in internis, & rapido ad pulmones reditu, cum pectoris conſtrictione conjuncto.

Tam evidens, quam evidentiſſimum eſt, quod hæc phænomena enor mes potentiæ vitalis commotiones pro cauſa agnoſcant. Cum ſumm impetu flagrans hoc pathema, optimum etiam oſtendit exemplum ef fectuum in omni genere, qui vim motricem nimis agitatam comitan tur

(*b*) Ill. ALBINI *Prælectiones Phyſiol.* (*c*) HALLER *Element.* Tom. 5. (*d*) HOFF MAN. *Rat. Med.* Tom. 3.

tur. Cordis arteriarumque crebrior fit micatio, minima vaſa ſpaſtice conſtringuntur, & muſculi nimia vis motricis energia contremiſcunt (*e*).

Hæc Animi perturbatio, ut ex ejus actione liquet, inter ſtimulantia vehementiſſima, qualia ſunt liquores ſpirituoſi, ſolis ardor in temperamentis calidioribus, venena multa, quæ totum agitant ſyſtema, locum habet. Et quod in illis etiam obſervamus, ſecundum corporis indolem & gradum actionis, varia & oppoſita inducit effecta. Quibus vires vitales langueſcunt, ut in temperamentis frigidioribus, leucophlegmaticis, paralyticis, moribundis, impetu ſuo actuoſo debitas ſubminiſtrat vires, & novo vigore animat. Legimus inde de mutis præ ira in verba prorumpentibus (*f*), de morte per ſeptem integras dies etiam retardata (*g*). Febrim intermittentem ſanavit iracundia (*h*), vel paroxysmi incipientis torpori ſeſe opponens per auctam vaſorum actionem, vel naturæ nixus minus efficaces ſeſe a morbo liberandi opportunè adjuvans. In corporibus tamen ſanguineis, plethoricis, calefactis, eximia irritabilitate inſtructis, vel ſupra modum excitata iracundia, multa & horrenda inducuntur mala (*i*), morbos inflammatorios, inſaniam, apoplexiam, febres ardentes, biliofas, cholericas, maculas rubras, nigras, putridas, vomitum, icterum, volvulum (*k*), alvi fluxum (*l*), hæmorrhagias (*m*), menſium profluvium, paralyſin, aphoniam, epilepſiam, catalepſin, morbum hyſtericum, inde orta legimus.

Quomodo omnia hæc fiant per phænomena ſupra tradita, huic pathemati peculiaria, facile intelligetur. Febres inflammatoriæ per circulationis velocitatem, cum quadam vaſorum conſtrictione conjunctam, accenduntur: quæ commotioni univerſali ſæpiſſime impetum in quandam partem etiam adjungunt. Vaſorum cerebri irritatio, vel in ſubſtantia ejus molli ab ingenti ſanguinis copiâ facta compreſſio, inſaniam, vel apoplexiam minantur. In caput enim præcipuè tendit pathematis impetus, ut ex facie vultuoſa & oculis igneis colligitur. Si in abdominis viſcera, mens irâ gravida vim ſuam impendit, bilis hinc ſecretionem, & excretionem perturbat. Auctâ copiâ & velocitate humorum, vel vaſis vi ſpaſtica conſtrictis (*n*), vomitus biliofus, icterus, alvi profluvium immodicum, cholera morbus, volvulus facile generari poſſunt. Ad hæc producenda conſpirant etiam cutis conſtrictio humores ad interiora repercutiens; inteſtinorum contractio ſpasmodica per pathema ipſum immediatè inducta. Hæmorrhagiæ, menſium pro-flu-

(*e*) Vid. Par. prim. § XIV. (*f*) Ill. ALBINI *Prælect. Phyſiol.* (*g*) Ill. GAUB. *Sermo Acad. alt.* (*h*) HOFF. *Med. Rat. Tom.* 3. (*i*) Vid. HOFF. *Med. Rat.* Tom. 3. ad Caput VI. Sect. I. (*k*) TULP. *Obſerv.* Lib. I. Cap. 41. (*l*) HOFF. l. c. (*m*) Clar. HALLER. Tom. V. Lib. XVII. (*n*) HOFF. l. c.

ſluvia ad ſanguinis impetum in partibus affectis referenda. Maculæ rubræ, nigræ, ſanguinem forſan bile tinctum in membranam celluloſam vi circulationis depoſitum, demonſtrant. Catalepſis, epilepſia ad nervorum indebitam ſenſilitatem ſpectant (*o*), paralyſis ad muſculos a nimia energia debilitatos. Arthritidem ſanavit ira vehemens (*p*). Quæcunque ſit hujus morbi natura vel cauſa, ſpeciem ſe demonſtrat eſſe inflammationis, & ſcimus ſtimulantia externe applicata, uſtionem ſcilicet, & urticationem aliquoties morbum ſanaſſe, criſin forſan expediendo. Simili modo, ut videtur, iracundi ſumma animi agitatio, vaſa ad vehementiſſimam actionem excitando, ſolvit morbum.

Verbo, quamvis infinita ſint mala per iram effrænatam inducta, tamen ad easdem referri poſſunt leges, quibus omnia corpora ſtimulantia, quæ vim vitalem immaniter excitant, diriguntur.

TERROR, vel ſubita Animi perturbatio ab mali *adſtantis* imaginatione. In hoc a metu discrepat, qui ad malum futurum refertur.

Diſtincte contemplatus terror motum ſubitaneum convulſivumque per omnes corporis partes excitat. Cor vehementer percutitur, & ſaltus quidam fortis ſentitur. Corpus, quaſi quodam inſtinctu in ſitum, ad malum impendens propellendum aptiſſimum, disponitur. Valde pro tempore roborat terror, & collectis viribus impetum vehementiſſimum facit perterritus ad ſeipſum a diſcrimine liberandum, vel celeritate incredibili fugit, ſi via ad fugam patet; inſolita muſculis ſuppeditata agilitate, inſolitisque viribus. In momento diſcriminis nil ſentit, nil cogitat, attonitus, niſi de periculo; ſed poſtea circulationem valde perturbatam invenit. Cor palpitat. Reſpiratio laborat, vi motrici cordis valde aucta & circulatione, quæ inde pendet. Vaſa cutanea & forſan omnia in corpore vaſa conſtringuntur. His cauſis unitis, vaſis conſtrictis nempe, & circulatione perturbata, pulſus fit inæqualis, parvus, contractus.

Hoc Pathema plerumque cum metu conjungitur & effecta ſiſtit metui peculiaria. Incertus ſum itaque utrum vaſorum conſtrictionem illi, an huic, attribuere debeamus. Certiſſimum eſt tamen, illos, qui præ ſyſtematis nervoſi irritabilitate, levioribus de cauſis perterriti ſunt, poſt pathematis percuſſionem, calorem cum rubore, & aliquando ſudore conjunctam, ſentire, quæ metui contraria indicant phænomena. Obſervandum eſt porro, quod, quo magis improviſum ſit diſcrimen, eo minus phænomena metui propria ſe manifeſtent. Si parvum temporis intervallum in-

(*o*) Vid. Pars prim. §. 12. (*p*) Clar. GAUB. *Serm. Acad. alter.*

interſit, ita, ut animus periculum contempletur, tunc metus terrori arctiſſime nubit.

Remediis caremus interne applicatis, quæ ſimilem motum ſubitaneum, & quaſi convulſivum, inducerent. Phænomena hæc tamen ad vim illam electricam, quæ per totum ſyſtema ictu oculi tranſit, & quæ tanta ſit velocitate, ut neque hinc neque inde, impetum ſuum incipere videatur, ſed potius omnes corporis partes, uno & eodem temporis momento, concutiat.

Videamus nunc quibus in caſibus hoc pathema vehemens vel proficere, vel lædere poſſit. In illis morbis, qui torporem alicujus naturæ pro cauſa agnoscunt, concuſſio hæc, maxime ſubita & violentiſſima, optime conducit ad vim vitæ compreſſam & ſemimortuam reſuſcitandam, & mala inde orta ſuperanda; ſimili modo, quo ira agens. Hinc, ut morborum hiſtoriæ docent, tertiana a metu nata, per terrorem ſanata fuit (*q*). Muti loquendi uſum recuperaverunt (*r*). Moribundi convaluerunt (*ſ*). Paralyticis artubus motus redibat. Menſes ſuppreſſi redierunt. Melancholici facultates integras recuperaverunt (*t*). Inſultui epileptico nunc occurrit, nunc epilepſiam & catalepſin producit (*u*). Arterias cum magna hæmorrhagia aperit (*v*). Modus agendi, ex pathematum deſcriptione ſupra tradita, facile colligetur. Hæc phænomena docent, quod vaſorum conſtrictio & torpor ille, qui in metu exſeritur, terrori non ſint eſſentiales. Commotio hæc ſubitanea enim conatui ad contractionem in vaſis, & torpori a metu inducto, ſeſe opponit, & aliquando circulationem auget usque ad arteriarum hæmorrhagias (*x*).

Hactenus non tractavimus niſi de illis pathematibus, quæ functiones perturbant per indebitam actionem, & eorum organorum vehementem agitationem. Transeamus nunc ad illa, quæ potius functiones torpescere faciunt, & debilitant.

METUS, vel tædium ab mali futuri vivida repreſentatione. Pathema hoc aliquando cum maxima perturbatione & terrore conjungitur, ſed ſeparatim contemplatum, torporem ſummum per totum ſyſtema diffundit; vaſa cutanea valde conſtringit: inde inhorrescunt pili, & ſenſus

---

(*q*) Ill. HALLER. *Comment.* Tom. 5. (*r*) Ill. GAUB. *Serm. alter.* (*ſ*) Ill. HALLER. (*t*) Ibid.

(*u*) *Serm. Acad.* HALL. Epilepſia inveterata periodice recidiva, per Terrorem ſuſpenditur, agitatione hac violentiſſima ſeſe Inſultui opponente. In aliis tamen hominibus, nimia ſenſibilitate præditis, commotiones per Terrorem concitæ, ſupra vires corporis fiunt. Syſtema nervoſum nunc cum ſumma irregularitate agit, & functiones Cerebri pro tempore abolentur.

(*v*) Ill. HALLER. (*x*) HALLER.

ſus conſtrictionis per totam compagem ſentitur. Vaſorum conſtrictio ad interiora pellit circulationem, pallidus itaque devenit puſillanimus, & ex torpore univerſali, frigidus. Palleſcunt oculi, & ad ſundum orbitæ ſeſe recipiunt. Labra livida tremiſcunt. Animi potentia in muſculis tollitur: hinc debilitas, inactivitas, tremor, motus & fugiendi impotentia, ſenſus ponderis enormis in artubus. Sphincteres muſculi, qui, in ſtatu naturali, energiam quandam requirunt ad munera ſua perficienda (y), relaxantur, nec valet Animus relaxationem inhibere. Humorum curſus internus, & ſphincterum relaxatio, alvi ſubmiſſionem involuntariam, & urinæ profluvium producunt. Urina etiam per vaſorum conſtrictionem pallida devenit. Nervorum ſenſibilitas in genere diminuitur, attamen ineffabilis ſentitur anxietas circa cor & præcordia. Hoc phænomenon ex ſanguinis accumulatione in his partibus, atque ex cordis ipſius conſtrictione, cum aucta ejus irritabilitate, originem ſuam repetit. In cor enim pathema magnam vim exſerit, & ejus nervos dolore inſolito afficit; inde irritabilius redditur: ſanguine onoratum tamen non valet plene ictu ſeſe liberare. Hoc itaque repetitis ictibus tentat. Cum metu porro conjungitur ſæpiſſime terror: qui cor agitat, quamvis vaſorum conſtrictio ſaltui fortiori reſiſtat. Vaſis conſtrictis, & corde irritato, pulſus parvus, durus, inæqualis fit. Aliquando vaſa cutanea nimiâ energiâ conſtricta, debilitantur, tonum amittunt, aperiuntur, & ſudores frigidos generant.

Ex hac metus delineatione clarè pateſcit, quod hoc Pathema inter non naturalia, quæ ſedativa fortiſſima vocantur, locum habeat, qualia ſunt frigoris ſummus gradus, vapores putridi, ſaturni præparationes chymicæ; omnia hæc, vaſa cutanea fortiter conſtringunt, vel potius, ad contractionem ſtimulant. Hinc actionem eorum liberam, & operationes inde pendentes, lædunt. Motum muſcularem debilitant, & potentiam eorum motricem torpeſcere faciunt; vi vitali forſan in vaſa nimis intenſè agente (z).

Neque ex his metus effectibus latet, quo in caſu noceat, & quando beneficia ſua corpori inferre poſſit. Si mutationes, quæ ab hoc pathemate proveniunt conferas cum febris putridæ, peſtiferæ, morbilloſæ, intermittentis &c. primo acceſſu, arctiſſimam invenies analogiâm. Hæc enim cum languore, virium proſtratione, frigore, vaſorum minimorum conſtrictione incipiunt. Hinc liquidum eſt, quod metus ad illos morbos corripiendos maxime diſponat corpus, & cum materia contagioſa cooperans ſymptomata multo graviora faciat. Vires enim corporis

(y) Clar. Whytt's *Eſſays*. (z) Vid. Par. prim. §. 14. (r.)

poris jamjam debilitatæ ſunt. Languore & Torpore corripitur miſerrimus homo: minime igitur reſiſtere poteſt violentiæ cauſæ morboſæ (*a*). In morbis etiam, qui exanthemata expellunt, hoc pathema maxime nocet (*b*); vaſa cutanea enim conſtringit; vires naturales debilitat. Puſtulæ hinc erumpere impediuntur, vel eruptæ retroaguntur. Quod ſemper morbum graviorem reddit, ſæpe funeſtum. Dyſenteriam excitat metus (*c*). Humores ad partes internas repercutit, & ſphincteres relaxat.

His adjungamus neceſſe eſt, mala a vaſorum conſtrictione immediate orta, ut menſium ſuppreſſio, tumores ſcirrhoſi &c. (*d*). In glandulis mammarum lacte repletis, & metu ſubitaneo compreſſis, orti ſunt ejusdem naturæ tumores (*e*). Lactis parte fluidiore abſorpta, reliqua indureſcens tumores ſcirrhoſos produxit. Gangrænas, & vulnera reddit lethalia (*f*). Quaſi ut adſtringens ſedativum vehementiſſimum agens, vitam partis deſtruit. Vires ad venerem neceſſarias frangit. Ad hoc omnia contribuunt. Amor cum metu ſubſiſtere non poteſt, & eorum effecta in corpus contraria ſunt. Deſideria tolluntur, arteriæ conſtringuntur, & debilitantur muſculi. Amauroſis, melancholia, epilepſia, ſyncope, amentia diuturna a metu generantur. Torporem ineffabilem, & inſenſibilitatem nervis inductam, vaſorum arctiſſimam conſtrictionem, & ſummam debilitatem, quibus una vel altera facultas opprimitur, vel debilitatur, hi morbi pro cauſa agnoſcunt. Ad talem torporis gradum pervenit metus, ut vitam ipſam extingueret. Hoc etiam fieri poteſt a ſanguine retropulſo, & in corde collecto, unde vitæ ſuffocatio.

Potentia tamen hæc ſedativa, in aliis corporis conditionibus, magna utilitate pollet. Vim & irritabilitatem vaſorum pacavit, & quaſi per miraculum morbos huic vitio proprios, ſanavit. Podagra ſic ſubito ſuppreſſa fuit. Inſani priſtinam facultatem, & rationis uſum, recuperaverunt. Hos morbos ab inflammationis diverſis ſpeciebus oriri, apud omnes in confeſſo eſt. Vis illa ſedativa itaque, quamvis in corporibus ſanis multum mali induxerit, in his affectionibus exoptatam exſeruit

(*a*) Vid. DIEMERBROEK *de Peſte.* (*b*) Vid. HOFF. *Rat. Med.* Tom. I. 3. (*c*) Ibid.

(*d*) Dicitur quod concretiones polypoſæ inde generari poſſint. Sed obſervavit *accuratiſſimus Anatomicus* Cl. HUNTER, omnes concretiones polypoſas, quas in cadaveribus invenit, in vaſis majoribus circa cor ſeſe formaſſe, & talem habuiſſe ſedem, ut circulationem impediſſent in corpore vivo exiſtentes. Inde credit, illas poſt mortem, vel in articulo mortis, formari.

(*e*) Ill. VAN SWIETEN *comment.* §. 495. Quæcunque ſit natura & indoles tumorum, qui in glandulis formantur, ſcimus omnia, quæ vaſa arctè conſtringunt, hæc mala inducere poſſe. In hoc itaque metus cum aliis rebus non naturalibus Analogiam obſervat.

(*f*) Ill. HALLER. *Element.*

ruit virtutem, & ad ſtatum naturalem reduxit potentiam nervoſam nimis agitatam. Vaſa enim nunc conſtricta non valent cum tanta vehementia agere, & nervorum inſenſibilitas efficit, ut cauſam irritantem minus percipiat pars. Odontalgiam inde metus inſtrumenti chirurgici ſæpe pro tempore ſanavit. Hydropem porro curavit metus. Hæc duo exempla ſuffiant. Mulier hydrope laborans, per taurum, quem credebat furioſum, perterrefacta fuit. Statim incipiebat veſicam urinariam evacuare, & urinæ profluvium perſiſtebat, donec magna aquæ copia, in abdomine collecta, exhauriretur. Ejusdem naturæ eventus mulieri hydropicæ accidit, quæ ab equo in terram cecidit illæſa, tamen ſummè perterrita fuit, & mingendo ſeſe ab aquæ onere liberavit (*h*). Hydrops ſæpiſſime a fibris laxis provenit, inde vaſa exhalantia auctam aquæ copiam in varias cavitates effundunt, & vaſa abſorbentia minorem copiam reſorbent. In his exemplis cutis per metum perſtringebatur, & abdomen compreſſioni forti & æquali arctabat. Vaſa abſorbentia, nunc etiam per hoc pathema conſtricta, debitum recuperabant tonum, & forſan per terroris ſummam agitationem in actionem excitabantur. Veſicæ urinariæ ſphincter vim contractilem perdebat; huc itaque curſum neceſſario tendebat fluidum. Omnia igitur, ſecundum effecta huic pathemati propria, ad aquæ ejectionem ex corpore conſpirabant.

Effecta, quæ a metu proveniunt, ad alia phænomena explicanda inſerviunt. Imaginationis imperium morbos, vel mortem ipſam intuliſſe neminem latet (*i*). Modus operandi ex ſupradictis apparebit, mali imaginarii idea fortis, vividaque, eaſdem efficiet mutationes cum in Animo, tum in corpore, ac ſi re ipſa exiſteret periculum. Sed videmus metum multa agnoſcere ſymptomata morboſa, quæ pro ratione & gradu timoris gravèſcunt. Qui igitur ſibi ipſi perſuadet ſe ægrotare, brevi ſentiet multa ægritudinis ſymptomata, ab anxietate nata. Hæc vim imaginationis augent, & imaginatio iterum ſymptomata. Ita ab imaginatione vana in morbum gravem reverà incidit. Immo, quod magis hanc explicationem confirmat, eſt, quod morbi, ab imaginatione producti, ſemper ad torporis aliquam ſpeciem & languorem pertineant, & nunquam ad functionum nimis violentem actionem.

MOEROR, vel tædium ob mala experta. Varia ſunt hujus Animi affectionis effecta, ſecundum mali naturam, magnitudinem, & vim. Ad primam, & præſertim ſubitaneam, eventus acerbi annunciationem obſtupeſcit Animus. Cor & arteriæ valde conſtringuntur, & anxietas in effa-

(*h*) Clar. WATSON *Prælection. Anatom.* Lib. XVII. ubi plurima exhibet exempla.

(*i*) Vid. Ill. HALL. *Element.* Tom. 5.

effabilis ſentitur. Oculi efferati ſunt. Riget, horreſcit, palleſcit corpus, & quaſi immobilis fit miſerimus Homo. — His accedunt ſæpe ſumma Animæ & Corporis agitatio, quæremoniæ, pectoris plangor, manuum comploſio, lacrimarum copioſiſſimum profluvium, ſingultus. Nunc oculi rubeſcunt. Calet facies & pectus. Dolet caput. Satietas quaſi uſque ad nauſeæ ſpeciem in ſtomacho ſentitur, & appetitus proſternitur. Pulſus mollior, plenior fit. Calor per totum corpus extenditur, & ſudor ſæpe prorumpit. Hæc magnam laſſitudinem & languorem ſomnolentiamque relinquunt. Mæroris cauſa remanens, & vim ſuam exſerens, attentionem luctuoſi continuo occupat. Triſtitia pertinax devenit, & homini quaſi naturalis. Mœſtus Animi tamen quadam amœnitate gaudet, & torpor non injucundus totam compagem pervadit. Corſortium hominum fugit Dolens. Hilaritatem ſpernit. Solitudinem quærit, & amat. Contemplatione malorum ſeſe perverſè delectat. Somnus denique perturbatur. Cibi averſio augetur. Vires gradatim franguntur: debelitatis corde & vaſis, pulſus languet, tardior, minor, debilior fit. Circulatio lenta per pulmones, & muſculorum reſpirationis hebetudo, anxietatem in pectore creant. Hæc per ſuſpiria intervallis repetita mitigatur.

Primi ſtadii ſymptomata iis, quæ ſummum pavorem excitant, tam arcte aſſimilantur, ut nova expoſitione non egeant. — In ſecundo ſtadio vis vitalis magnopere agitatur. Vaſa per totum corpus fortiter agunt. Et quod in febre intermittente accidit, aucta & libera vaſorum actio, primo inſultui torporem inducenti, ſuccedit. Glandulæ lachrimales, quarum vaſa mox perſtringebantur, nunc quaſi vinculis exſoluta, ad fluidi ſecretionem ſtimulantur. Nauſeæ ſenſus, ſtomachi agitationi per ſingultus repetitos, pro parte attribui poſſit, & pro parte Pathematis naturæ, quod nervos ſtomachi tali modo obtundit, ut neutiquam ad famem, ſed potius ad nauſeam, excitentur. — Tertium ſtadium ad illa nociva pertinet, quæ ſæpe repetita vires corporis frangunt: atoniam vel partium ſolidarum laxiorem compagem inducunt. Sive hoc fiat per potentiæ nervoſæ ultra modum excitantia, aut ſupprimentia; vel ex ſua natura debilitantia (*k*).

Symptoma primi ſtadii ad eadem mala diſponit, ad quæ metus & pavor, de cujus naturæ tam largè participat. Secundum ſtadium ad morbos inflammatorios proclive reddit corpus. Diuturna triſtitia, tertii ſtadii ſymptomata inducens, neceſſario corpus diſponit ad mala, quæ ab hoc fonte profluunt. Atonia, vel fibrarum laxitas, hydropem infert. Animi at-

(*k*) Vid. Pars prim. §. 18.

attentio acerba ad objecta triſtiſſima, vires cerebri deſtruit, omnes alias ideas abigit, in melancholiam vel fatuitatem terminat. Viſcerum debilitas, cruditates in primis viis, flatus, ſenſus ponderis, morbos hypochondriacos, hyſtericos gignit. Torpor & languor univerſalis aliquando in lethargum, catalepſin, epilepſiam &c. abiit. Viribus debilitatis, miasmata omnium generum, frigusque & humiditas poteſtatem ſummam in corpus exſerunt, & morbos inde ortos funeſtiſſimos reddunt.

Primus mæroris inſultus ſalutaris fieri poterit, ubi valet metus. Agitatio ſequens ad concretiones incipientes diſſolvendas inſervit; Inſultum epilepticum abigit. Sed quodcunque languorem illum diuturnum inducit, & nativum firmarum partium vigorem gradatim deſtruit, malis fœcundiſſimum eſt, & nunquam prodeſſe poterit.

QUAMVIS animi attentio ad aliquam rem non poſſit legitime pathema vocari, tamen ſeparatim agere videtur, & hinc diſtincta contemplari mereiur.

Quodcunque animum fortiter occupat, ſive tædium, ſive voluptatem cieat, corpus pro tempore inſenſibile reddit ad ea, quæ alioquin effectus ſuos produxiſſent. Obſervatio v. g. argenti ſignati perattenta febris intermittentis acceſſum fefellit. Inſultus epilepticos abigit ſulphuris baculus in manu detentus, donec per calorem manus diſſilierit (*l*). Attamen animi applicatio minus pertinax & diuturna, quamvis ad ſtudia delectabilia, vires corporis gradatim deſtruit, languorem, laſſitudinem, torporem ſummum inducit, appetitum delet, primas vias debilitat, & ad morbos inde ortos proclive reddit corpus (*m*).

Primus producitur effectus, ut apparet, per inſenſibilitatem illam, qua nervi contra impreſſiones ſolitas muniti ſunt. Sed per talem applicationem aſſiduam & diuturnam, ad unum idemque objectum, non improbabile eſt, quod reliquæ corporis partes, vi illa nervoſa, quæ compagem erigit roboratque, & ad functiones ſuas exercendas idoneam reddit, priventur, potentiæ hujus nervoſæ nimia in cerebro ipſo conſumptione. His adjungere poſſumus, quod ſtomachi nervi, vel debilitentur, & ſic appetitus ſtimulo non excitentur, vel animus ad ideam hanc non attendat, inde corpus nutritione fraudetur. Ab exercitiis porro, ad corporis robur tam neceſſariis, abſtinet ſtudioſus. Omnia hæe in unum conſpirant ad vires frangendas, & morbos inde provenientes inducendos (*n*).

Pathemata ſupra delineata characteribus ſemet ipſis propriis gaudent.

Aliæ

(*l*) Clar. WHYTT *on nervons diſorders.* (*m*) Clar. GAUB. *Inſtitutiones Pathol. ad Caput de Exercitat. Ment. immod.* (*n*) Ibid.

Aliæ dantur affectiones, quas *compoſitas* vocare liceat, & ex quarum combinatione nouæ mutationes producuntur.

Odium, *iracundia inveterata* ſcilicet, & *invidia*, iræ noxis conjungunt mala ab animi nimia applicatione orta. Per procellas equidem & perturbationes, quæ ultionem minantur, ſeſe non manifeſtant, ſed potius internas & occultas excitant commotiones. Animus ſigna externa cautè ſupprimit, venenum tamen profunde operatur. In initio celeritatem circulationis promovent hæc pathemata, & vaſa ad frequentiores potius, quam fortiores cient contractiones, & ad inſtar materiæ purulentæ in corpore, irritant, calefaciunt, ſitim, ſiccitatem inducunt, & febres hecticæ brevi vires depaſcunt; donec tandem palam adparent animi angoris ſigna, pallidus nempe vultus, inſomnium, tabes &c.

Sollicitudo diuturna, ſimili modo, & *animi anxietas* ſunt quaſi metus & iracundia pertinaces, & animus non ſolum corpus ſuum lædit nimia attentione, ſed attentio hæc in objecta figitur, quæ affectiones excitant ad corporis ſanitatem funeſtas. Duo itaque conſpirant cauſæ ad robur ſyſtematis deſtruendum, & febres hecticas, nervoſas, chronicas, inducendas.

Miſericordia eſt triſtitia cum benevolentia complicata, & de earum natura participat.

Deſperatio eſt conjuratio quaſi omnium pathematum vehementiſſimorum contra animi & corporis pacem & ſalutem. Terror pertinax, & metus ſine ullo ſpei levamine, mœror, iracundia contra ſe ipſum, miſerrimam reddunt vitam, & optatam accelerant mortem.

Tædium L. B. movere nolo, has affectiones diſtinctè & verboſius explicando. Sufficiat mihi illas ante oculos poſuiſſe. Facile ex Pathematum conſtituentium actione, modum agendi colligere quilibet poteſt.

ETIAMSI hactenus phænomena animi pathematum diſputando, nec mihi, nec aliis ſatisfeciſſe videar: tamen ex illis deſcriptionibus, quas dare conatus ſum, cuilibet patebit analogia arctiſſima mutationes inter ab animo productas, & illas ab omnibus aliis cauſis ortas: & quomodo fiat, ut tanti momenti ſint ad morbos inducendos, vel ſanandos. Omnia enim ſimiles obſervant leges. Diverſa corporis nempe organa excitant, deprimunt, roborant, debilitant. Omnia hos producunt effectus, per irregularis impetus excitationem in nervos, qua nunc vaſa ad micationes crebriores ſtimulantur, nunc conſtringuntur, muſculi modo agitantur, modo rigeſcunt. Omnia per nimiam energiam denique atoniam & debilitatem inferunt. Differentia in hoc ſolum conſtat, in *uno* caſu ſtimulus extraneus in corpus agit; in *altero* animus ipſe nervos ſuos variis modis afficit. — Corpora diverſa quamvis varias & oppoſitas communicant ſenſationes, reſpectu medicinæ tamen ſæpe ſimilem in nervos

nervos exſerunt efficaciam. Sic pathemata quæ, nunc tædium, nunc voluptatem comitantur, tamen ad eandem indicationem tendere poſſunt. Aliqua medicamenta generali, *topicam* adjungunt determinationem. Pudor ſimili modo faciem præcipue occupat: gaudium & mœror glandulas lachrymales ſtimulant: metus corrugat cutem: cupido genitalia petit & ſic porro. — Non naturalia denique, alios producunt effectos, in corporibus nimia ſenſibilitate & irritabilitate inſtructis, quam in robuſtioribus. Sic omnia animi pathemata, vel voluptate, vel tædio concita, ſpiritus vitales nimis perturbando, morbos hyſtericos, catalepſin, epilepſiam producunt (†).

Congruentia hæc operationes animi inter & omnia illa, quæ corpus bene vel male afficiunt, plane indicat unam & eandem dari mutationum cauſam. Cauſa hæc non poteſt in diverſa fluidorum indole locum habere, propter rationes ſupra traditas (*o*). Et abſurdum eſſet porro credere omnem animi affectum, naturam & indolem fluidorum per totum corpus, ictu oculi, primo mutare, & inde effecta ſua in ſolidos exſerere; & iterum, animo pacato fluida ſuam indolem denuo reſumere. Neque locum habet cauſa hæc in ſolidis per aliquam legem mechanicam, aut phyſicam, ut multa docent (*p*). Nil itaque remanet niſi ſyſtematis ſenſibilitas, & irritabilitas, quibus diverſis ſtimulis, diverſis modis, reſpondet. At ſi irritabilitas a ſenſibilitate pendet, tunc omnia ad ſenſationis quamdam ſpeciem reducuntur (*q*). Et parum refert, utrum hoc principium ſentiendi ad animum ipſum pertineat, & ejus quaſi facultas ſit,

(*o*) Vid. Pars prim. pag. 10. §. 23. (*v*) (*p*) Vid. Pars prim. pag. 3. (*q*) Vid. Pars prim. §. 5.

(†) Quotiescunque, ab aliqua cauſa externa, Corpus mutationes ſubit, iis ſimiles, quas produxiſſet animi Pathema, tali Pathemati, pro illo tempore, proclivis fit Animus, Quodcunque e. g. vim vitæ ad vegetam & amœnam actionem excitat, affectionibus jucundioribus favet. Juventus hinc, temperamentum floridum, delicatiore corporis fabrica & Nervorum ſenſibilitate inſtructum, tempus vernale, &c. amœnam ſenſationem nervis impertiunt, quæ Animum diſponit ad lætitiam, hilaritatem, voluptatem, amorem. Stimulus quivis fortior vim vitæ violentius excitans, ſive a temperamento calidiori, æſtu, vini compotatione, proveniat, ad fortitudinem, amorem, libidinem, iram, proclivem reddit animum; prout operationis gradus & rerum conditio, huic vel illi affectioni faveant. —— Quodcunque nimis irritat, & ſenſationem incommodi infert, ut dolor, nimius calor, laſſitudo, vigiliæ protractæ, fames (*), moroſum, protervum, iracundum reddit hominem. E contrario, illa quæ vires corporis deprimunt, & valde debilitant, ad pathemata diſponunt, quæ hæc mala producunt, ad metum ſcilicet, anxietatem animi, melancholiam. Hujus naturæ ſunt temperamentum melancholicum, cibus crudus difficilis digeſtu, evacuationes immodicæ, morbi protracti, febres nervoſæ, ſcorbuticæ, putridæ. Hæc, ut mihi videtur, clarè demonſtrant, quod omnia nervorum diverſas affectiones pro cauſa agnoſcant.

(*) Optime obſervavit lepidus quidam ſi horâ *ante* prandium gratiam ab aliquo petiit, repudiatus abiit; ſi *poſt* prandium, ſemper gratioſiſſimè receptus fuit, & ſæpe votum obtinuit.

ſit, an ad intermedium aliquod, ope cujus Animus & Corpus in ſe mutuo agunt. Neque magis incongruum videtur, ſenſationem ipſam per ullas leges phyſicas explicare, quam illas mutationes, quæ in corpore *vivo* & *ſentiente* oriuntur.

Quomodo Animus has efficiat mutationes ignoratur. Ignoratur quomodo opiata univerſalem inducant ſoporem: unde fiat, ut ſtimuli varii ſenſationes diverſas in corpus imprimant, & medicamentum *hic* applicatum partes longè diſtantes afficiat. In utroque caſu *ſimilis* datur obſcuritas. Liquidum eſt tamen, quod in natura humana inſit inſtinctus quidam, quo multa in uſum ſyſtematis perficiuntur, quæ nullo modo a voluntate & intelligentia Animi pendent. Per hunc infans recens natus, thoracem dilatare eruditur, aërem novo vitæ generi tam neceſſarium in pulmones recipere (*r*): vel „ indoctus puer materno uberi admotus paratum ſibi lac ſtatim & expeditim ſugit, deglutitque" (*s*). Homini appetenti viſus, vel imaginatio cibi glandulas oris ſtimulat ad requiſita ſecernenda fluida. Alicujus rei odioſæ faſtidium nauſeam & vomitum creat(*t*). Sic pathemata hæc, quadam lege inviolata, tales mutationes in corpore ſuo inducunt. Et quamvis in Animi poteſtate ſit aliquando commotiones cohibere, tamen effrænato pathemate non valet Animus effectus mutare.

Operæ prætium erit itaque explorare, qua ratione voluit ſummus rerum Arbiter, ut Animi pathemata tales determinatos ſemper producant effectus, quare e. g. ira nunquam easdem mutationes gignat, quas mœror, & ſpes toto cœlo a metu diſtet. Argumentum novum & elegantiſſimum eſt. Proferam quæ mihi de hoc veriſimillima videntur.

QUEMADMODUM Corpus noſtrum admodum ſenſibile ad omnia circumquaque mirifice adaptatur, unde mutationibus variis ſubeſt: ſic homo ſecundum reſpectum moralem, in quo cum aliis hominibus verſatur, & ſecundum leges hujus ſocietatis, ad contingentia varia, cum mala tum bona, ſubjectus eſt. Hæc diverſis modis animum afficiunt, & per animum, *corpus*. Sed obſervare poſſumus congruentiam quamdam, & conſpirationem naturam pathematis inter, & vim illam, quam exſerit in ſyſtema. Corpus, dico, per pathema ipſum in eundem diſponitur ſtatum, qui cum affectionis indole & natura optimè convenit. — SPES e. g. omnium ſaluberrima eſt, quia maxime diuturna. Hæc affectio vitæ longæ comes individua, & naturæ noſtræ optima eſt dos: ſæpiſſime unicum præbet antidotum contra multa mala quibus peſſumdantur mortales. Cum ſumma ſapientia conſtituitur itaque, ut quod præ-

(*r*) *Serm. Acad.* (*s*) Ibid. (*t*) Clar. WHYTT *Sympathy of the nerves.*

præcipuum *animo* adminiculum ſuppeditat, ad corporis optimam ſanitatem conducat. Si porro minimum incommodum in ſyſtema introduceret, perpetuo agens, ſicut venenum lentius, denique vires corporis & animi corroderet, deſtrueretque. — GAUDIUM eſt pathema ſolum occaſionale, actuoſius igitur ſine detrimento vigere poteſt. Gaudium vires animi ad inſtar cardiaci ultra limites ordinarios excitat. Quotidiano itaque uſu noceret. Sed debitis intervallis repetitum amœnam & jucundam reddit vitam. Gaudii interpoſitiones tales, quaſi ſtationes ſunt, ubi novum ſpei commeatum, ut ſic dicam, pro itinere colligimus. Signa externa lætitiæ animi dantur, ut adſtantes etiam per illam ſympathiam, qua fruimur innatam, de his deliciis participent. — FORTITUDO cum periculis verſatur, corpus itaque roboratur per pathema ipſum, ut diſcrimini par ſit, illudque ſuperet. — AMOR inter ſexum diverſum ad fruitionem allicit, & corpus ad fruitionem optime diſponit, ſenſibilitas nervorum per totum ſyſtema valde adaugetur. Tactus levior etiam accendit. In faciem & oculos inſcribuntur notæ, quas invicem legunt amati, & quæ ardorem adfectuum excitant. Organa ad procreationem adaptata altiorem ſenſibilitatis gradum acquirunt. Poſt coitum languent omnia, & faſtidium quaſi gignitur, ne ad nimium veneris cultum alliceatur homo. —— PUDOR. Aliquando hæc affectio cum metu conjungitur, & per animum culpæ conſcium excitatur. In hoc caſu talis confuſio, & ſigna culpæ adſtantibus conſpicua exhibet, & eodem tempore miſericordiam eorum quaſi ſollicitat. Aliquando ſummam honoris ſenſibilitatem annotat pudor, cum diffidentia in ſemetipſum. Virtutum conjunctio hæc maxime laudanda, quæ indulgentiam ab omnibus quam optime meretur. Os itaque rubore ſuffuſum, & oculi in terram dejecti, indulgentiam hanc ab aliis poscunt: & ad illam efficaciter disponunt. Sicut hoc pathema nullum habet finem, niſi animi ſtatum aliis conſpicuum reddendi, nec roborat, nec debilitat naturæ vires, ſed impetum ejus præcipue in vultu effundit, ut omnibus manifeſtius adpareat. —— IRA ad injurias vindicandas animum excitat: & animus quodam inſtinctu arma corpori ſuppeditat. Robur valde augetur. Ad ultionem elevatur & roboratur lacertus, oculi ignei, os vultuoſum minitansque ad ſummum terrorem delinquenti incutiendum conſpirant. —— TERROR corpus ſtatim diſponit ad malum improviſum repellendum; & commotionibus illis vehementiſſimis a diſcrimine ſe ipſum liberandi. —— METUS mala futura præſagit. Corpus tamen mala fugere impedit, & ligatis quaſi muſculis, debilitatis viribus, præda facilior diſcrimini minanti meticuloſus redditur. Hoc primo oculi ictu valde incongruum adparet. Sed mihi videtur, quod metus in genere humano, quando tantam imbecillitatem inducit, ſemper cum quadam delicti conſcientia conjungatur. Hanc conjecturam confirmant multa. Homo *innocens* mi-

nas

naſpernit; periculis horrendis, morti ipſi, cum tranquillitate obviam it, ſi prudentia & officium exigunt. *Reatus* ad conſpectum, vel imaginationem punitionis plerumque animo defecit: & ob *metum* mortis ſemimortuus fit. Nec dubito, quin ſi muneri ſuo rite ſatisfaceret homo, ut extra culpam eſſet, etiam metu careret. Depreſſio hæc exquiſita igitur initium pœnæ foret, & culpabilem ad ſupplicia merita facilius traderet. Et forſan animi abjectio & aſpectus pertriſtes Pavidi ad Juſtitiæ aſperitatem mitigandam, & inter pœnas miſericordiam & clementiam animo Violati injiciendas, tam vivide in facie pinguntur.—— MOEROR ex rebus adverſis profluit, & hæ ſæpe ab animo præcipite, ſaltem ad ſummam temeritatem proclivis eſſet homo, niſi triſtitia, quaſi vi ſedativa, mentis levitatem corrigeret. Hoc pathema itaque, poſt primum ejus inſultum, placidum reddit ſpiritum & corpus: ſolitudinis amorem inſpirat, animum emollit, ad ſapientiæ inſtructiones recipiendas. Res adverſæ itaque corpus & animum ita diſponunt, ut per monita illa ſalutaria, quæ ſecum ferunt, proficiant mortales.

Odium, *invidia*, *animi anxietas*, *deſperatio* pro maxima parte illegitima ſunt: nullam utilitatem habent: nequitiæ mercedes ſunt, vel nequitia ipſa: Flagellum criminis itaque in ſuo proprio corpore ſagaciter conſtituuntur.

DENIQUE effectus, quos producunt animi pathemata in corpus, teſtimonium non ſuſpiciendum præbent, hominem ad virtutem & numinis cultum deſtinari. Virtus amicitiam & benevolentiam gignit; odium, invidiam, iram immodicam vetat. Inanis religionis metus ad *melancholiam*, & mala corporea inde ſequentia conducit. Sed vera religio, & numinis ſumma reverentia ſpei favet & Gaudio; metum tollit & deſperationem: triſtitiam conſolatur. Verbo, exceſſus nocivos undique prohibet; & indulgentiam moderatam affectionum ſalutarium concedit. Hinc clare liquet, ſi ulla congruentia datur inter corpus noſtrum, & illa quæ corpori ſalutaria ſunt, quod virtus & pietas homini naturales, & ſaluberrimæ ſint, & felicem longævitatem promittant.

EX dictis liquet, maximi momenti eſſe, ut medicus in morbis ad Animi ſtatum reſpiciat, & per methodos aptas illud pathema cieat, quod curationi favet. De methodo pathemata, & morbos ex eorum exceſſu ortos, tractandi, nihil adjiciam. Hæc enim cuilibet contemplanti ſponte patent: & limites talis diſſertationis vetant verboſiorem hujus argumenti dare expoſitionem.

SI forte tranctando hoc argumentum, ob mentis & corporis naturam interiorem omnino abſtruſam, non omnia ad liquidum deducere potuerim,

rim, & ſi magnis forte auſis exciderim: ſolatio tamen mihi erit: in magnis voluiſſe, ſat eſt.

Nam neque chorda ſonum reddit', quem vult manus & mens,
Poſcentique gravem, perſæpe remittit acutum.

Horat. de Arte poëtica.

F I N I S.